BRV
333

SANCTI PATRIS NOSTRI

JOANNIS DAMASCENI

MONACHI ET PRESBYTERI
HYEROSOLIMITANI

OPERA PHILOSOPHICA ET THEOLOGICA

QUÆ EIUS NOMINE CIRCUMFERUNTUR

Ex editione Veneta & Parisiensi

Pars secunda complectens

Quatuor de Fide Orthodoxa Libros

cum

Illustrissimi, ac Reverendissimi
Domini
PETRI PAULI AARON
de Bistra

EPISCOPI FOGARASIENSIS Benedictione,
nunc primum hoc ordine typis edita.

Balasfalvæ Anno Domini MDCCLXIII.

Inv. 465

S. GREGORIUS

NAZIANZENUS
COGNOMENTO THEOLOGUS.

ORAT. XXXVI.

Præſtantiſſimus hic apud nos Theologus cenſetur, non qui totum invenerit, nec enim * hoc vinculum poteſt capere totum: ſed qui alio plus mente conceperit, ampliuſque in ſe ipſo collegerit Veritatis ſimulachrum vel adumbrationem, vel quocunque tandem alio vocabulo uti quis malit.

* *id eſt corpus cui copulatus eſt animus. Elias Cretenſis*

SEd & in aliis urbibus tumultus excitati ſunt, dum Ariani Eccleſiis pellerentur. Hic vero Imperatoris (*THEODOSII*) prudentiam mirari mihi in mentem ſubit. Neque enim paſſus eſt urbes diutius tumultuoſis motibus agitari: ſed pro virili parte huic malo occurrens, brevi e lapſo tempore, omnium Sectarum Concilium iterum cogi juſſit: ratus ex mutuo Epiſcoporum inter ſe colloquio futurum, ut una apud omnes eademque ſententia obtineret. Atque hoc Imperatoris inſtitutum, cauſam fuiſſe arbitror eorum quæ tum illi feliciter evenerunt. Iiſdem temporibus divina quadam providentia Barbaræ Gentes ſub illius ditionem redactæ ſunt. Inter alios Athanarichus Gotthorum Rex cum univerſo populo ſeſe ei dedidit: qui quidem paulo poſt Conſtantinopoli extremum diem obiit. Tunc etiam Imperator Arcadium filium ſuum Auguſtum renuntiavit, Merobaude iterum & Saturnino Conſulibus, die ſeptimo decimo Calendas Februarii. Nec multo poſt uniuſcujuſque Sectæ Epiſcopi undique convocati adfuerunt,

iis-

iisdem Consulibus mense Junio. Imperator igitur accito Nectario Episcopo (*Constantinopolitano Catholico*) sollicita deliberatione cum eo tractavit, quonam modo Christiana religio dissensionibus liberari, & Ecclesia ad unitatem revocari posset. Ajebatque discutiendam esse controversiam quæ Ecclesias segregaret, ut amputatis discordiarum causis, Ecclesiis concordia restitueretur. His auditis Nectarius, anxius ac sollicitus hærebat. Et accersito Agelio tunc temporis Novatianorum Episcopo, utpote qui cum ipso in Fide consentiret, Imperatoris consilium ei aperit. Ille cum vir esset alioqui pius ac religiosus, sed qui de Fidei doctrina cominus disputare haudquaquam valeret, Sisinnium Lectorem suum qui hoc differendi munus obiret, elegit. At Sisinnius vir imprimis disertus & magno rerum usu præditus, & qui præter sacrarum Literarum scientiam, Græcorum quoque Philosophiam egregie callebat, cum probe nosset, ejusmodi disputationibus non modo dissidia minime sanari, verum etiam hæreses ad majorem contentionem accendi, hoc consilium suggessit Nectario. Quoniam compertum habebat,

Ve-

Veteres studiose caviſſe, ne principium exiſtentiæ Filio tribuerent, quippe qui cenſerent illum Patri coæternum eſſe: ſuadet ut Dialecticas quidem concertationes omittat; expoſitiones autem Veterum in teſtimonium adducat: utque, Imperator ſingularum Sectarum principes interroget, utrum Veterum Doctorum qui ante diſſidium in Eccleſia floruiſſent, rationem habendam eſſe cenſerent; an vero tanquam a Chriſtiana religione alienos eos rejicerent. Nam ſi illos rejiciunt, audeant igitur eos etiam anathemate damnare. Id vero ſi facere auſi fuerint, a multitudine vulgi protinus extrudentur. Atque hoc facto manifeſta erit Veritatis Victoria. Quod ſi priſcos Doctores minime repudiabunt, noſtrum erit libros Veterum proferre, quorum teſtimonio ſententia noſtra confirmetur. Hæc Nectarius cum a Siſinnio audiſſet, ſtatim in palatium contendit, & quid ſibi ſuggeſtum ſit conſilii, Imperatori ſignificat. Ille conſilium avide amplexus, rem ipſam prudenter exſequitur. Occultans enim id quod in animo habebat, id unum ex illis ſciſcitatus eſt, num rationem aliquam ducerent eorum qui ante ortam diſſenſionem Doctores Eccleſiæ exſti-

tiſſe

ciſſent; & utrum eos admitterent. Illis minime inficiantibus, ſeque eos tanquam Magiſtros impenſe colere affirmantibus; iterum quæſivit Imperator, utrum illis tanquam idoneis ac fide dignis Chriſtianæ doctrinæ Teſtibus aquieſcant. Quæ cum audiiſſent Sectarum Epiſcopi eorumque Dialectici (erant enim cum illis non pauci ad diſputationis certamen inſtructi) quid acturi eſſent ambigebant. Etenim ſinguli in varias diſtrahebantur ſententias: dum alii rectum eſſe dicerent id quod ab Imperatore proponeretur alii ſuis rationibus id nequaquam conducere: exiſtimarent. Quippe alii aliter affecti erant erga Priſcorum libros. Exinde ergo male inter ipſos convenit: diſſidebantque non ſolum ab aliis Sectis, verum etiam inter ſemetipſos ij qui ejuſdem Sectæ eſſe videbantur. Concors itaque malitia, non ſecus ac veterum illorum Gigantum lingua, diviſa eſt; & improbitatis Turris everſa. Poſtquam Imperator multiplicem eorum diſperſionem animadvertit, eoſque ſola diſputatione, non autem Veterum Patrum expoſitione fretos eſſe, ad aliud conſilium ſe convertit. Juſſitque ut ſingulæ Sectæ fidei ſuæ formulam ſcripto comprehenſam ipſi offerent &c.

CAPITA DOGMATICA.

DEUM comprehendi non posse, nec ea quæ a SS. Prophetis, Apostolis, & Evangelistis tradita non sunt, curiosius inquirenda esse, I.

De his quæ sermone exprimi possunt, vel non possunt, deque his quæ in cognitionem cadunt, vel quæ cognitionem fugiunt, II.

Demonstratio quod Deus sit, III.

Quidnam sit Deus; quodque comprehendi non possit, IV.

Demonstratio quod Deus unus sit, nec multi, V.

De Verbo Dei & Spiritu, VI.

De Spiritu sancto. VII.

De Sancta Trinitate, VIII.

De iis quæ de Deo dicuntur, IX.

De Divina unione & distinctione, X.

De iis quæ de Deo modo corporeo dicuntur, XI.

De iisdem rebus, XII.

De Loco Dei, & quod solus Deus incircum

cumscriptus sit, XIII.
Proprietates divinæ naturæ, XIV.
De Seculo, XV. De rerum creatione, XVI.
De Angelis, XVII.
De Diabolo & dæmonibus, XVIII.
De Creatura visibili, XIX. De Cœlo, XX.
De Luce, igne, luminaribus, Sole, Luna & stellis, XXI.
De Aere & ventis, XXII. De Aqua, XXIII.
De Terra, & iis quæ de ea producuntur, XXIV.
De Paradiso, XXV. De Homine, XXVI.
De Voluptatibus, XXVII.
De Tristitia, XXVIII. De Timore, XXIX.
De Ira, XXX. De Phantasia, XXXI.
De Sensu, XXXII. De Cogitatione, XXXIII.
De Memoria, XXXIV.
De Sermone intraneo, & prolatitio, XXXV.
De Passione & actione, XXXVI.
De actu, XXXVII.
De Voluntario & involuntario, XXXVIII.
De eo quod in nostra voluntate situm, hoc est de libero arbitrio, XXXIX.
De illis quæ fiunt, XL.
Quam ob causam libero arbitrio præditi simus, XLI.

De

De iis quæ in nostra potestate posita non sunt, XLII.
De Providentia, XLIII.
De Præscientia & Prædestinatione, XLIV.
De Dei erga nos dispensatione & cura, deque nostra salute, XLV.
Quomodo conceptum sit Verbum, & de divina ejus incarnatione, XLVI.
De duabus naturis, XLVII.
De modo mutuæ communicationis proprietatum, XLVIII.
De numero naturarum, XLIX.
Quod tota divina natura in una suarum personarum toti humanæ naturæ unita sit, & non pars parti, L.
De una Dei Verbi persona, LI.
Ad eos qui scisitantur, an ad continuam quantitatem, an ad discretam Domini naturæ reducantur, LII.
Ad illud quod quæritur, sit ne ulla natura quæ subsistentia careat, responsio, LIII.
De Hymno Trisagio, LIV.
De Natura quæ in specie, & quæ in individuo consideratur, deque differentia Uni-

tionis & Incarnationis: & quomodo illud accipiendum sit, *unam Dei Verbi naturam incarnatam*, LV.
Quod Virgo sancta sit Dei genitrix, LVI.
De Proprietatibus duarum naturarum, LVII.
De Domini nostri Jesu Christi duplici voluntate & arbitrii libertate, LVIII.
De Operationibus, quæ in Domino nostro Jesu Christo sunt, LIX.
Adversus eos qui dicunt, si duæ naturæ & actiones sunt in homine, necesse est tres esse in Christo naturas, ac totidem dicere actiones, LX.
De eo quod carnis Domini natura & voluntas deificata sit, LXI.
Iterum de voluntate duplici, arbitriique libertate; itemque de mente duplici, scientia, & sapientia, LXII.
De Theandrica, seu Dei-virili, actione, LXIII.
De naturalibus, nec reprehensione dignis passionibus, LXIV.
De ignorantia & servitute, LXV.
De Profectu, LXVI.
De Timore, LXVII.

De Domini oratione, LXVIII.
De adpropriatione, LXIX.
De corporis Domini passione, ipsiusque divinitatis impassibilitate, LXX.
Quod Verbi divinitas ab anima & corpore inseparabilis manserit, etiam in Domini morte: & quod una interim persona perstiterit, LXXI.
De Corruptione & corruptela, LXXII.
De Descensu ad inferos, LXXIII.
De iis quæ resurrectionem sequuta sunt, LXXIV.
De Sessione ad dexteram Patris, LXXV.
Adversus eos qui ita objiciunt: si duæ naturæ Christus est, aut creaturam colitis, naturam creatam adorando, aut alteram naturam dicitis adorandam, alteram non adorandam, LXXVI.
Cur Dei Filius, non Pater, aut Spiritus sanctus homo factus sit; & quid factus homo præstiterit, LXXVII.
Ad eos qui quærunt, Christi persona sitne creata, an increata, LXXVIII.
Quando Christus est appellatus, LXXIX.
Ad eos qui scisciantur, an sancta Dei genitrix

trix duas naturas genuerit, & an duæ naturæ in Christo pependerint, LXXX.
Quomodo Primogenitus dicantur Unigenitus Dei Filius, LXXXI.
De Fide & baptismo, LXXXII.
De Fide, LXXXIII.
De Cruce: ubi rursum de Fide, LXXXIV.
De adoratione ad Orientem, LXXXV.
De Sacrosanctis & divinis mysteriis, LXXXVI.
De genere Domini, deque sancta Dei genitrice, LXXXVII.
Quis sanctis, ipsorumque reliquis honos habendus sit, LXXXVIII.
De Sanctis imaginibus, LXXXIX.
De Scriptura, XC.
Dd his quæ de Christo dicuntur, XCI.
Deum non esse auctorem malorum, XCII.
Non esse duo principia, XCIII.
Cur Deus eos condiderit, qui peccaturi essent, nec pœnitentiam acturi, XCIV.
De lege Dei, & lege peccati, XCV.
Adversus Judæos, de Sabbato, XCVI.
De Virginitate, XCVII.
De Circumcisione, XCVIII.
De Antichristo, XCIX De Resurrectione, C.

EXPOSITIO ACCURATA
Fidei Orthodoxæ.
LIBER PRIMUS.

Deum comprehendi non posse ; nec ea quæ a sanctis Prophetis & Apostolis & Evangelistis minime tradita sunt , curiosius inquirenda esse. CAP. I.

EUM * *nemo vidit unquam . Unigenitus filius , qui est in sinu Patris , ipse enarravit .* Deus ergo nec oratione ulla explicari , nec ullo modo comprehendi potest . ** *Nemo* enim *Patrem novit , nisi Filius ; nec filium , nisi Pater .* Quin etiam Spiritus sanctus perinde novit ea quæ Dei sunt , atque Spiritus hominis novit ea

* *Joan.* 1. *v.* 18. ** *Matth.* 11. *v.* 27.

quæ in ipso sunt. * At vero, post primam illam beatamque naturam nemo unquam Deum cognovit, nisi cui ipse revelaverit. Neque de hominibus tantum mihi sermo est; sed de virtutibus etiam illis mundo sublimioribus, ac de ipsis quoque Cherubim ac Seraphim.

Non nos tamen in omnigena prorsus ignorantia versari passus est Deus. Nemo quippe mortalium est, cui non hoc ab eo naturaliter insitum sit, ut Deum esse cognoscat. Quin ipsæ quoque res conditæ, earumque conservatio atque gubernatio, divinæ naturæ prædicant Majestatem. ** Adhæc tum ante per legem & Prophetas; tum postea per Unigenitum Filium suum, Dominum, Deum, & Salvatorem nostrum Jesum Christum, pro captu ac modulo nostro notitiam sui patefecit. Quocirca omnia quæ nobis, tam per legem & Prophetas, ¶ quam per Apostolos & Evangelistas tradita sunt, amplectimur, agnoscimus, & vene-

* 1. *Cor.* 2. *v.* 11. ** *Sap.* 13. *v.* 5. *Greg. Naz orat.* 34. ¶ *Dionys. c.* 1. *de div. nom.*

veneramur; nec ultra ea quidquam inquirimus. † Nam cum Deus bonus sit, omnis profecto boni auctor & largitor est, ut qui nec invidia, nec ullis passionibus affectibusve laboret. Invidentia siquidem procul abest a divina natura; quippe quæ omnis perturbationis expers, solaque bona est. Proinde, cum cuncta perspecta habeat, & quod cuique conducibile sit administret, id quod nostra scire intererat, aperuit: quodque vires nostras & captum excederet, tacuit. ‡ His itaque contenti simus; in his hæreamus, nec terminos antiquos, traditionemque divinam transgrediamur.

† *Greg. Naz. orat.* 34. ‡ *Prov.* 22. *v.* 28.

De his quæ sermone exprimi possunt, vel non possunt; item de his quæ in cognitionem cadunt, & quæ cognitionem fugiunt.

CAP. II.

PLane itaque noscat necesse est, * qui de Deo loqui vel audire studet, ea quæ

* *Dionys. cap.* 1. *de div. Nom.*
Greg. Naz. orat. 34. *&* 37.

quæ ad doctrinam, tum de divinitate, tum de incarnatione spectant, eam rationem habere, ut nec omnia vim omnem orationis superent, nec omnia sermone explicari queant; itemque nec cognitionem nostram penitus fugiant, nec penitus in eam cadant. Aliud porro est quod cognosci potest aliud quod dici: quemadmodum videlicet aliud est loqui, atque aliud cognoscere. Multa igitur ex iis quæ obscure de Deo intelliguntur, non satis commode proprie que efferri possunt; cogimurque, cum de rebus supra nos positis sermo nobis est more humano loqui; ut cum de Deo verba facientes somnum, iram, incuriam manusque, ac pedes, aliaque id genus vocabula usurpamus.

Et quidem quod Deus initio ac fine careat, quod æternus, sempiternusque sit quod increatus, immutabilis, ab omni alteratione liber, simplex, compositionis expers, incorporeus, invisibilis, tangi nescius, incircumscriptus, & infinitus sit; quod cognitionem omnem fugiat; quod cogitatu

majo

major, incomprehenſus, bonus, juſtus, creatorum omnium opifex, omnia potens, omnia continens, omnium inſpector, omnium proviſor, poteſtate decernens, ac denique judex ſit; hæc, inquam, omnia & ſcimus, & confitemur: illudque item, quod unus ſit Deus; hoc eſt una ſubſtantia: quodque in tribus agnoſcatur & exiſtat perſonis, nimirum in Patre & Filio & Spiritu ſancto: tum quod Pater & Filius & Spiritus ſanctus unum omnino ſint, excepta ingeniti, generationiſque, & proceſſionis proprietate, inſuper quod unigenitus Filius & Verbum Dei, ac Deus, per viſcera miſericordiæ ſuæ, ob ſalutem noſtram, benigna Patris voluntate, ac ſanctiſſimi Spiritus cooperatione, abſque ſemine conceptus, citra ullam corruptionem ex ſancta Virgine Deique genitrice Maria per Spiritum ſanctum natus ſit, atque ex ea homo perfectus exſtiterit: quodque idem ſimul & perfectus Deus & perfectus homo ſit, ex duabus naturis, divinitate nempe & humanitate & in duabus naturis, intelligentia, voluntate, agendi facultate, atque arbitrii poteſtate

prædi-

præditis; atque, ut verbo dicam, in quib
secundum definitionem ac rationem utriqu
hoc est divinitati & humanitati, atque u
compositæ personæ congruentem, nihil omn
no desit; quod insuper esurierit, sitierit, dorm
que fatigatus & suffixus cruci, mortique ac se
pulturæ periculum fecerit, triduoque po
resurrexerit, & in cœlos, unde ad nos ve
nerat, reversus sit, ac denuo tandem ve
turus sit, tum divina scriptura testatur
tum universus sanctorum chorus.

At vero, † quid Dei substantia sit, at
quo pacto omnibus rebus insit, vel qu
modo Deus ex Deo genitus sit, vel pr
cesserit; aut qua ratione unigenitus Fili
ac Deus sese exinaniens, ex virgineis sa
guinibus homo factus sit, aliter videlic
quam naturæ lex ferat, effectus; aut qu
módo siccis pedibus super aquas incesserit
hæc sane nec scimus, ‡ nec dicere possi
mus. Fieri ergo nequit, ut præter illa qu
divinitus nobis a sacro sanctis veteris ac no
vi Testamenti oraculis enuntiata sunt, au
dicta, aut patefacta, de Deo quidquam
loqua

† *Dion. cap.* 2. *de div. Nom.* ‡ *Ibid. cap.* 1

loquamur, aut omnino cogitatu assequamur.

Demonstratio quod Deus sit. CAP. III.

QUod ergo Deus sit, ab illis qui sacras literas, vetus inquam & novum Testamentum, recipiunt, non ambigitur, ut nec a plerisque Gentilium. Velut enim jam diximus, insitum nobis a natura est, ut Deum esse noscamus. † Quoniam vero Satanæ improbitas tantum adversus hominum naturam valuit, ut & quosdam in stolidissimam, & quovis malo pejorem exitii voraginem detruserit, ita ut Deum esse negarent (quorum insipientiam divinorum verborum interpres David palam faciens ait, ‡ *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus*) eam ob causam discipuli Domini & Apostoli a Spiritu sancto eruditi, divinis ejus potentia & gratia editis prodigiis, miraculorum sagena eos ex ignorantiæ gurgite extractos, ad agnitionis Dei lumen provexerunt. Eodem quoque modo illorum tum gratiæ,

† *Sup. cap.* 1. ‡ *Psal.* 13. *v.* 1.

gratiæ, tum dignitatis muneriſque ſucceſſores, Paſtores nimirum atque Doctores, illuminantem ſpiritus gratiam conſequuti, tum miraculorum virtute, tum ſermonibus gratiæ obcæcatos illuminabant, errantesque in viam reducebant. At nos, qui nec miraculorum, nec doctrinæ donum accepimus (ut qui nimia erga voluptates propenſione, nos eo indignos reddiderimus) † age pauca eorum quæ gratiæ interpretes nobis tradiderunt, de hoc argumento diſſeramus; implorata tamen prius Patris & Filii & Spiritus ſancti ope.

Omnia quæ ſunt, aut creata ſunt, aut increata. Si creata, utique & mutabilia ſunt. Quorum enim eſſe a mutatione incepit, ea mutationi quoque ſubſint neceſſe eſt, ſive intereant, ſive per voluntatis actus alia atque alia fiant. Sin autem increata, ſequitur profecto ut & mutari omnino nequeant. Quorum enim eſſe contrarium eſt, horum etiam modus quo ſunt, proprietatesve contrariæ ſunt. Ecquis ergo hoc nobis non aſſentiatur, omnia quæ ſunt

† *Greg. Naz. orat.* 34.

sunt, mutabilia esse, nec ea tantum quæ sub sensum nostrum cadunt, sed & Angelos mutari, alios ex aliis fieri, multiplici modo moveri, ac transmutari: sic nimirum, ut intelligibilia, Angelos dico animas, & dæmones, ratione voluntatis, sive progredientis in bono, sive rursus ab eo recedentis, seque vel intendentis, vel remittentis; reliqua vero secundum generationem & corruptionem, augmentum & decrementum, aut secundum qualitatem, & secundum motum de loco in locum immutentur? Cum ergo mutabilia sint, sane etiam creata esse oportet. Si vero creata, haud dubium quin ab aliquo opifice sint condita. Atqui creatorem increatum esse necessum est. Nam si ipse quoque creatus est, a quodam profecto creatus erit, sicque donec ad aliquod increatum venerimus. Increatus igitur cum sit ille conditor, omnino nec mutabilis est. Hoc autem quid aliud nisi Deus fuerit?

Porro ipsa quoque rerum creatarum compages, conservatio, atque gubernatio, nos docent Deum esse, qui universum hoc coa-

gmen-

gmentarit, † sustentet, & conservet, eique perpetuo provideat. Qui enim fieri potuisset, ut inter se pugnantes naturæ, ignis inquam, & aquæ, aeris, & terræ ad unius mundi constitutionem coirent, tenacique adeo nexu cohærerent, ut nulla ratione solvi possint; nisi omnipotens vis aliqua ea compaginasset, ac perpetuo a dissolutione servaret.

Quid est quod ea quæ in cœlo, & quæ in terra existunt, quæque aerem pervagantur, & quæ in aquis degunt; imo etiam quæ his anteriora sunt, cœlum, terram & aerem, † ignis quoque & aquæ naturam certis dispositis locis? a quonam commissa hæc sunt, & distributa? quid est quod motum his impressit, perennique nec ulla re cohibito cursu ea versat? Annon eorum artifex, qui rebus omnibus rationem modumque, quo universum hoc agatur, & regatur, indiderit? At quis horum artifex? Annon is qui ea condidit, inque rerum naturam produxit? Nec enim τῷ αὐτομάτῳ seu casui, eam vim facultatemque tribuerimus. Sit enim sane casus, quod extite-

rit

† *Athan. cont. Gent.* ‡ *Greg. Naz. orat.* 34

rint: † at cujus tandem erit ea disposuisse? Verum illud quoque si lubet concedamus: ‡ cujus vero erit, eadem juxta illas quibus primum condita sunt leges conservare & custodire? Alterius profecto quam casus: atque hoc quidnam aliud sit, nisi Deus?

† *Athan. de Incarn. Verbi post. init.*
‡ *Greg. Naz. orat.* 34.

Quidnam Deus sit, quodque comprehendi non possit. CAP. IV.

QUod itaque sit Deus, liquido constat: quid autem secundum essentiam & naturam sit, nullo prorsus modo comprehendi, vel etiam cognosci potest. Nam quod incorporeus sit, perspicuum est. † Quo enim modo corpus esse queat, quod infinitum & interminatum est, quod figura careret, quodque nec tangi, nec oculis cerni potest; ‡ quod denique simplex est nec compositum? quomodo quippe immutabile erit, si circumscriptum ac passioni obnoxium sit? quinam expers passionis erit, quod ex ele-

men-

† *Greg. Naz. orat.* 32. & 34. ‡ *Greg. Naz. ibid.*

mentis conflatur, atque in eadem rursus dilabitur? compositio siquidem pugnæ origo est; pugna, dissidii; dissidium, solutionis, solutio autem à Deo prorsus aliena est.

Qua ratione autem & illud stabit certumque erit, quod Deus omnia pervadat & impleat, sicut ait scriptura, * *nonne cælum & terram ego impleo, dicit Dominus*? ** Neque enim fieri possit ut corpus corpori permeet, quin simul & dividat, & dividatur, complicetur que, & opponatur per juxta oppositionem, ut loquuntur; quemadmodum liquida omnia cum inter se miscentur ac temperantur.

Quod si quidam contendunt, hoc corpus immateriale esse, non secus atque corpus illud, quod Græcorum sapientes quintum appellant ¶ (quod quidem esse nequit) movebitur certe uti cœlum. Hoc enim est quod quintum corpus vocant. Ecquis igitur ei motum affert? quidquid enim movetur ab alio moveri necesse est. Aquonam item illud

* *Jer.* 23. *v.* 24. ** *Greg. Naz. ibid.*

¶ *Idem. ibid.*

illud movetur? atque ita in infinitum progrediar, quo usque ad aliquod tandem perveniamus quod omni motu careat. Nam primum movens aliunde non movetur: & hoc quidem Deus est. * Huc accedit, quod loco circumscribi oportet illud quod movetur: ac proinde solus Deus motu caret, sua immobilitate omnia movens. Ex quibus efficitur, ut Deus incorporeus statuendus sit.

At ne hoc quidem essentiam ejus declarat: " quemadmodum nec cum ingenitum, principiique, ac mutationis & corruptionis expertem eum dicimus, & cætera quæ de Deo, vel circa ipsum esse dicuntur. Hæc enim non quid sit, sed quid non sit indicant. Atqui oportet eum, qui rei alicujus naturam exponere in animo habet, quid ea sit dicere, non quid non sit. De Deo autem impossibile est, quidnam essentia sua ac natura sit enuntiare: ** aptiusque est ex omnium remotione & negatione sermonem de eo facere. ¶ Neque enim aliquid est eo-

rum

* *Greg. Naz. ibid.* ** *Idem ibid.* ¶ *Dionys. de Mysl. Theolog.* " *Idem. ibid.*

rum quæ sunt: non ut nullatenus sit; sed quia super omnia quæ sunt, atque etiam supra ipsummet esse ipse sit. Etenim si cognitiones circa res quæ sunt versantur; profecto quod cognitionem superat, supra essentiam quoque erit: verissimque quod est supra essentiam, cognitionem superabit.

Infinitus igitur est Deus, & incomprehensibilis: atque hoc unum est, quod de eo percipi possit & comprehendi. Quæcumque autem de Deo per affirmationem dicimus, non Dei naturam, sed quæ circa naturam illius sunt, ostendunt. Ita sive bonum, sive justum, sive sapientem, sive quo tandem aliud dixeris, non Dei naturam, sed quæ circa naturam sunt, exponis. Sunt porro nonnulla quæ tametsi per affirmationem de Deo dicantur, præcellentis tamen negationis vim habent, V. g. cum de Deo verba facientes, tenebrarum vocem usurpamus, non tenebras ipsas intelligimus, sed quod lux non sit, verum luce præstantior. Eodem modo, cum lucem eum dicimus, hoc significamus, quod tenebræ non sit.

Demonſtratio quod unus ſit Deus & non plures. CAP V.

IGitur quod Deus ſit, quodque ejus eſſentia comprehendi nequeat, abunde demonſtratum eſt. Quod autem unus ſit, & non plures, apud eos quidem, qui Scripturæ divinæ fidem adhibent, extra controverſiam eſt. Dominus enim quam legem Iſraeli tulit, verbis his auſpicatur. * *Ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti. Non erunt tibi Dii alii præter me.* Et rurſus ait: † *Audi Iſrael: Dominus Deus tuus, Dominus unus eſt.* Et per Eſaiam Prophetam: ‡ *Ego enim*, inquit, *ſum Deus primus, & ego poſthæc; & præter me non eſt Deus. Ante me non fuit alius Deus, & poſt me non erit, & præter me non eſt.* Quin & Dominus in Evangeliis in hæc verba alloquitur Patrem: ¶ *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum verum Deum.* Cum illis autem, qui nullam ſcripturæ ſacræ fidem ar-

* *Exod.* 20. *v.* 2. † *Deut.* 6. *v.* 4.
‡ *Eſai.* 43. *v.* 10. ¶ *Joan.* 17. *v.* 3.

rogant, ad hunc modum disputabimus.

Deus perfectus est, & absque defectu, sive bonitatem, sive sapientiam, sive potentiam spectes; principii ac finis expers, sempiternus, incircumscriptus, ac denique, † ut rem uno verbo complectar, omnibus modis est perfectus. Quocirca si plures Deos esse asserverimus, inter plures discrimen animadvertere necesse erit. Nam si nihil discriminis inter eos reperiatur, unus potius est, quam multi: si autem discrimen aliquod inter eos existit, ubi tandem erit illa perfectio? Etenim si, vel bonitatis, vel potentiæ, vel sapientiæ, vel postremo temporis ratione, aliquid in eo ad perfectionem desideretur, Deus certe non erit. At vero identitas sibi per omnia constans, unum potius, quam multos ostendit.

Jam vero si multi sunt, quomodo salva & incolumis ipsis manebit incircumscriptio? ¶ ubi enim unus fuerit, illinc alter aberit.

§ Quid insuper afferri potest, quin si mundus

† *Greg. Nyss. Prol. lib. Catech.*

¶ *inf. lib. 4. c. 21.* § *Greg. Naz. orat. 35.*

dus a multis gubernetur, non dilabatur, corrumpaturque, & intereat: quippe cum inter gubernatores pugna vulgo peripiciatur? discrimen siquidem pugnæ & contentioni aditum facit. Sin autem quis dicat singulos parti præesse; quæram ex eo quis hujus ordinis auctor fuerit, imperiumque inter ipsos partitus sit? Hic enim potius Deus unus erit. Unus proinde est Deus, perfectus, circumscriptionis expers, mundi architectus & conditor, conservator, & gubernator, perfectione omni sublimior & anterior.

† Ad hæc a natura quoque necessitate omni comparatum est, ut unitas binarii origo sit.

† *Dionys. de div. Nom. cap.* 5. 15.

De Verbo ac Dei Filio, Probatio ducta a ratione. CAP. VI.

HIC ergo ille unus ac solus Deus, verbo destitutus non est. Verbum porro si habeat, non ejusmodi illud habiturus est, quod non subsistat, aut quod esse cœperit,

aut sit desiturum. Neque enim fuit unquam, cum Deus sine verbo esset. † Quin potius Verbum suum ex se genitum semper habet, non quod ad instar nostri non subsistat, & in aerem diffluat; sed in se consistens, vivumque, & perfectum, atque ejusmodi, ut extra ipsum non progrediatur, sed in ipso semper existat. Quo enim, quæso, loco esset, si extra ipsum excedat? Nam quia natura nostra caduca est, & fragilis, ob eam quoque causam sermo noster subsistentia caret. At Deus, cum sempiternus perfectusque sit, perfectum quoque & subsistens, verequeexistens Verbum suum habet; & quod semper sit, & vivat, & omnia habeat, quæ Pater habet. Sicut enim sermo noster ex mente progrediens, nec prorsus cum mente idem est, nec rursum omnino ab ea diversus (quatenus enim ex mente, hactenus alius est a mente: quatenus vero mentem ipsam palam profert, non jam prorsus a mente diversus est; verum natura quidem est unum cum ea, subjecto autem ab illa diversum) ad eundem modum Dei quoque Ver-

† *Greg. Nyss. lib. Catech. c.* 1.

Verbum, quatenus per se subsistit, ab eo distinguitur, a quo habet ut per se subsistat: quatenus autem eadem in seipso ostendit, quæ in Deo conspiciuntur, idem natura cum ipso est. Quemadmodum enim omnimoda undique perfectio in Patre perspicitur, eadem etiam in Verbo ex ipso genito spectatur.

De Spiritu sancto, Probatio ducta ex ratione. CAP. VII.

SUus quoque Verbo Spiritus sit oportet. Nam ne noster quidem sermo spiritus est expers. Hoc autem inter utrumque interest, quod in nobis spiritus a substantia nostra alienus est. † Aeris quippe attractio & emissio est, qui tuendi corporis causa vicissim attrahitur & profunditur; ac loquutionis tempore sermonis vox efficitur, sermonis vim in se ipsa promens. At in divina natura, quæ simplex est, nec ullatenus composita, quod quidem Dei Spiritus sit, pie confitendum est (neque enim Dei Ver-

 bum,

† *Greg. Nyss. Catech. c.* 2.

bum minus quid nostro sermone ad perfectionem habet) Cœterum existimare Spiritum alienum quiddam esse, quod Deo extrinsecus adveniat, ut in nobis qui compositæ naturæ sumus, hoc a pietate abhorret. Quin potius, ut, cum Dei Verbum audimus, non ejusmodi verbum esse arbitramur quod substantia careat, vel doctrina comparetur, vel voce proferatur, vel in aerem dilabatur & evanescat: sed quod substantialiter consistat, sitque libera voluntate præditum, & efficax, atque omnipotens. Eodem modo cum Dei Spiritum Dei Verbi comitem, ipsiusque vim declarantem docemur, non flatum quemdam substantia destitutum animo concipimus (sic enim divinæ naturæ majestas in humilitatem deprimeretur, si Spiritum, qui in ea est, spiritus nostri similem esse conjiceremus) sed vim substantialem, quæque ipsa per se in propria ac distincta persona consideretur, atque a Patre procedat, & in Verbo conquiescat, ipsumque declaret & exprimat: quæ præterea, nec a Deo in quo est, nec

* *Greg. Naz. orat.* 37. & 44.

a Verbo cujus comes est, disjungi queat : nec denique ita dilabatur, ut omnino esse desinat; verum æque ac Verbum, per se, inque persona propria consistat, vivat, libere velit, suapte vi moveatur, efficax sit, bonum semper velit, atque ad id omne, quod decreverit, concurrentem cum voluntate potentiam habeat, ejusque naturæ sit, ut nec principium habuerit, nec finem habitura sit. Neque enim Patri Verbum unquam defuit, nec Verbo Spiritus.

Atque hac ratione, per naturæ quidem unitatem, Gentilium multos Deos asserentium error adimitur: † rursusque admissis Verbo & Spiritu, Judæorum dogma evertitur, ‡ remanetque quod in utraque secta commodi est; ex Judaica nimirum sententia unitas naturæ; ex Gentilissimo autem personarum sola distinctio.

Quod si contradicat Judæus, ne Verbum admittatur & Spiritus, divinæ Scripturæ testimonio confutetur, osque illi obstruatur. De Verbo enim ait divinus David:

In

† *Greg. Naz. orat.* 28. *& alibi.*
‡ *Greg. Nyss. lib. Catech. c.* 3.

* *In æternum Domine Verbum tuum permanet in cœlo*. Et rursus: ** *misit verbum suum; & sanavit eos*. Atqui verbum illud quod ore profertur, nec mittitur, nec in æternum manet. De Spiritu rursus ait idem David: † *Emittes Spiritum tuum & creabuntur*. Et alio loco, ¶ *Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum*. Job item: ‴ *Spiritus Domini qui fecit me, est flatus omnipotens, qui me tuetur atque conservat*. § Spiritus porro qui mittitur, facit, firmat, tuetur, atque conservat, non evanidus quidam halitus est quemadmodum nec Dei os, membrorum corporeum: utrumque enim horum contemnea Deo ratione intelligi debet.

* *Psal.* 118. *v.* 89. ** *Psal.* 106. *v.* 2[0]
† *Psal.* 103. *v.* 30. ¶ *Psal.* 32. *v.* 6.
Greg. Nyss. ibid. ‴ *Job.* 33. § *Basil. l.*
de Spir. S. ad Amphil. c. 18.

De Sancta Trinitate. CAP. VIII.

CRedimus igitur in unum Deum, principium unum, principio carentem, i[n]
cre[a]

creatum, ingenitum, interitus ac mortis nescium, aternum, immensum, incircumscriptum, nullis terminis definitum, infinitæ potentiæ, simplex, incompositum, incorporeum, a fluxu, passione, omnique mutatione & alteratione liberum, invisibilem, omnis bonitatis ac justitiæ fontem, lucem intellectualem & inaccessam, potentiam nulla mensura comprehensam, quamque sola voluntas sua metiatur (potest enim quidquid vult) " rerum omnium conditricem, tam visibilium, quam invisibilium effectricem; omnium conservatricem, omnibus providentem, omnia continentem ac regentem, perpetuumque ac immortale regnum in omnia obtinentem; nihil contrarium habentem, omnia implentem, a nulla re comprehensam, imo vero ipsam universa complectentem & continentem ac præhabentem, substantias omnes sine pollutione penetrantem, ultra res omnes & essentias, longe provectiorem, ut quæ super substantialis est, omnibusque entibus sublimior; divinitate, bonitate, plenitudine superio-

" *Psal.* 134. *v.* 6.

periorem ; principatus omnes atque ordines statuentem, super omnem principatum atque ordinem positam ; essentia, vita, sermone, & cogitatu altiorem ; quæ lux ipsa est, bonitas ipsa, ipsamet vita, ipsamet essentia ; utpote quæ nec esse suum, nec quidquam eorum quæ est, ab alio habeat ; verum ipsa iis quæ sunt, essentiæ ; illis quæ vivunt, vitæ ; & illis quæ ratione utuntur, rationis fons existat : bonorum omnium cunctis parentem, intuentem omnia priusquam fiant : unam substantiam, unam divinitatem, unam virtutem, unam voluntatem, unam operationem, unum principatum, " unam potestatem, unam dominationem, unum regnum ; ut tamen in tribus perfectis personis noscatur, & adoratione una adoretur, credaturque, & colatur ab omni rationali creatura ; quippe quod illæ citra permistionem & confusionem unitæ sint, & sine distantia (""" quod cogitationem omnem superat) discretæ : in Patrem & Filium & Spiritum sanctum, in quorum etiam

" *Greg. Naz. orat.* 13. 32.

""" *Idem. orat.* 12. 37. 40.

tiam nomine baptizati sumus. " Sic enim Dominus Apostolos baptizare jussit: *Baptizantes eos*, inquit, *in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*.

In unum Patrem (credimus) principium omnium & causam, ex nullo genitum, qui solus causæ & generationis expers est: omnium quidem conditorem; § cæterum unius duntaxat natura Patrem unigeniti Filii sui Domini nostri Jesu Christi, sanctissimique Spiritus productorem. Et in unum Filium Dei unigenitum Dominum nostrum, ex Patre natum ante omnia sæcula; lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Quem cum ante omnia sæcula dicimus, ipsius generationem, nec tempus, nec initium pati ostendimus. ¶ Non enim Dei Filius ex nihilo in ortum productus est; "" ille, inqam, gloriæ splendor, Paternæ figura substantiæ, viva sapientia, & virtus, subsistens Verbum, substantialis ipsa, perfecta, atque vivens

" *Math.* 28. *v.* 19. § *Greg. Naz. orat* 35. ¶ *Greg. Naz. or.* 30. "" *Hebr.* 1. *v.* 3.

vivens imago Dei invisibilis ; sed semper cum Patre , & in Patre erat , sempiterne & absque ullo initio ex ipso genitus . " Neque enim Pater unquam fuit, quando Filius non esset : † verum simul Pater, simul Filius, qui ex ipso genitus est . Neque enim Pater vocari possit, qui Filio careat. Nam si Filio aliquando caruit, Pater certe non erat. § Et si postea Filium habuit, postea quoque factus est Pater, cum ante Pater non esset, atque ex eo quod Pater non erat, mutatus est, eoque progressus ut Pater esset : id quod omni blasphemia gravius foret . ¶ Nefas enim est dicere Deum fœcunditate naturali caruisse . Fœcunditas porro in hoc posita est , ut qui ex seipso , id est ex propria substantia , prolem natura similem sui edat .

"" Proinde cum de Filii generatione agitur , tempus intercessisse dicere impium est "" aut Filii existentiam Patre posteriorem constituere . Ex ipso enim , hoc est ex Patre

" *Col.* 1. *v.* 15. † *Greg. Naz. orat.* 3. § *Cyril. in Thes. assert.* 4. *cap.* 5. ¶ *Ibid. assert.* 4. "" *Ibid. assert.* 4. "" *Greg. Naz. orat.* 3.

tris natura, esse profitemur Filii generationem. Ac nisi Filium a principio simul cum Patre a quo genitus est, fuisse concedamus, Paternæ substantiæ mutationem inducemus: quoniam, cum Pater non esset, posthac evasit Pater. Res enim creatæ, etsi postmodum conditæ sunt, non tamen ex Dei substantia exstiterunt; sed ipsius voluntate & potentia fuerunt productæ ut essent. Nec propterea in Dei naturam cadit mutatio: etenim generatio quidem in hoc consistit, ut ex gignentis substantia proles ejusdem cum gignente substantiæ producatur: at creatio & effectio hoc tantum requirit, ut extra, & non ex creantis aut efficientis substantia fiat illud quod creatur aut efficitur, omninoque quantum ad essentiam dissimile sit:

" Quamobrem in Deo, qui solus a perpessione omni, alteratione, ac mutatione liber est, semperque eodem modo se habet, tum generatio, tum creatio, passionis expers est. Nam cum nec patibilis, nec fluxæ naturæ sit; quippe simplex est, nec

" *Greg. Naz. orat.* 29. & 35.

compositus: certe nec passionem nec fluxum, vel in generando, vel in creando subire potest, nec cujusquam opem atque adjumentum desiderat. At generatio quidem initium non habet, sempiternaque est, ut quæ naturæ sit opus, exque ipsius substantia prodeat; ne alioqui ille qui gignit, mutationem subeat, ac præterea ne Deus prior sit, Deusque posterior, neve accessionem recipiat: creatio autem in Deo, cum sit voluntatis opus, Deo profecto coæterna non est. Haud enim natura comparatum est, ut quod ex nihilo producitur, eandem cum eo quod initio caret, & sempiternum est, æternitatem aut perpetuitatem habeat. § Quemadmodum igitur hominis & Dei non eadem est efficiendi ratio; " quia homo nihil ex nihilo producit; ¶ sed quod efficit ex præexistente, & subjecta materia facit; nec voluntatem duntaxat adhibet, sed prius etiam cogitat, illudque quod futurus est, animo effingit, ac posthac manuum quoque addita opera, laborem & mole

§ *Greg. Naz. orat.* 29. " *Cyrill. Thes. assert.* 7. & 18. ¶ *Greg. Naz. orat.* 29

molestiam sustinet: nec raro etiam spe sua labitur, ut cui propositum ex animi voluntate non succedat: Deus autem sola voluntate omnia ex nihilo ut essent produxit: ita nec eodem modo gignunt Deus & homo. § Deus enim, ut qui tempori non subsit, & principio, passione, ac fluxione omni vacet, " sitque incorporeus, ac solus ab interitu liber; ita citra tempus quoque, & principium, & passionem, & fluxum, & sine ullo congressu gignit, ac nec initium, nec finem habet incomprehensibilis ipsius generatio. Atqui citra tempus quidem idcirco gignit, quia ab omni mutatione alienus est: citra fluxionem autem, quia impatibilis & incorporeus: citra congressum vero, tum rursus quia incorporeus, tum quia unus tantum est Deus, alterius opera minime indigens: citra finem denique, & ut nunquam a gignendo quiescat, quod initii, & temporis, & finis expers sit, semperque eodem modo se habeat. Nam quod principio caret, nec finem unquam

ha-

§ *Cyrill. Thes. assert.* 5. 6. & 16.

" *Greg. Naz. orat.* 35.

habiturum est. Quod autem Dei munere atque gratia fine sine est ac immortale, hoc prorsus principio non caret. § Id quod ex Angelis perspici possit.

Ac proinde sempiternus Deus Verbum suum sine principio ac fine gignit; ne alioqui Deus, cujus natura ac existentia tempus omne superat, in tempore gignat. † At vero perspicuum est hominem dispari modo gignere, ut qui generationi & corruptioni, fluxioni item & multiplicationi subjectus sit, ac corpore vestitus; maremque & fœminam in natura habeat: mas quippe fœminæ opem desiderat. Verum propitius nobis sit ille qui omnia excedit, atque omnem mentis aciem & comprehensionem transcendit.

Sancta igitur & Catholica & Apostolica Ecclesia simul & Patrem, simulque unigenitum ipsius Filium docet, ex eo citra tempus, fluxum, & passionem, * incomprehensibili quadam ratione ac soli universorum Deo perspecta, genitum; non secus atque

§ *Infra. l. 2. c. 3.* † *Greg. Naz. orat 45*
* *Greg. Nyss. li. 1. Cont. Eun. p. 66.*

atque una cum igne lumen est quod ex eo oritur ; † nec prior est ignis, posterius lumen, sed utrumque simul : & quemadmodum lumen quod ex igne semper gignitur, semper in eo est, nec ab eo quoquo modo disjungitur ; ita & Filius gignitur ex Patre, ut nullo modo ab illo separetur, sed semper in eo sit : Verum hoc interest, quod lumen quod ex igne sine separatione gignitur, semperque in eo manet, aliam ab igne propriamque subsistentiam non habet (est enim naturalis ignis qualitas) at vero unigenitus Dei Filius ex Patre inseparabiliter ac sine diremtione genitus, semperque in ipso manens, peculiarem atque a Patre distinctam subsistentiam habet.

Ipse porro & Verbum, & splendor idcirco dicitur, quia citra alterius congressum & passionem & tempus, ‡ & fluxum ullum, ac separationem a Patre genitus est. * Filius autem, ac Paternæ substantiæ figura, quia perfectus est ac subsistens, § exceptaque ingeniti proprietate per omnia

† *Cyrill. Thes. Ass.* 5. ‡ *Athan. Expos. fid.*
* *Greg. or.* 36. § *Greg. Naz. or.* 23. 37. & 39.

Patrem refert atque exprimit. Unigenitus item, quia solus ex solo Patre unice natus est. Neque enim alia generatio est, quæ cum Filii Dei generatione conferri possit quandoquidem nec alius quoque Dei Filius est. Quamvis enim etiam Spiritus sanctus ex Patre procedat, non tamen generationis modo, sed processionis. Alius autem est hic existentiæ modus perinde incomprehensus & ignotus, quemadmodum & Filii generatio. * Quocirca omnia quæ Pater habet, Filii sunt, hoc uno excepto, quod ingenitus non est: † quæ quidem vox nec naturæ discrimen, nec dignitatem, sed subsistendi modum indicat. Haud secus atque Adam, qui genitus non est (figmentum enim Dei est) & Seth qui genitus (filius enim est Adami) & Eva quæ ex Adami costa prodiit, (neque enim ipsa genita est) natura inter se minime differunt (homines enim sunt) sed existendi modo.

Sciendum enim vocem ἀγέννητος, cum scribitur cum unico γ, increatum significare, sed

* *Basil. lib.* 2. *&* 4. *cont. Eun.*

† *Greg. Naz. orat.* 36. 37.

seu quod minime factum est: ἀγέννητον autem, cum scribitur cum duplici νν, id indicare quod non est genitum. Priore ergo significato essentia ab essentia differt. Alia enim est essentia increata; quam vox ἀγένητος, cum unico ν, sonat; alia creata, quam vox γενητὴ denotat. Secundo autem significandi genere nullum essentiæ ab essentia discrimen inducitur. Primum enim cujusque animantium specie individuum ἀγεννητον, seu ingenitum est; non item ἀγένητον, hoc est minime conditum & factum. A conditore quippe rerum, per ipsius Verbum in ortum producta sunt. At non genita; cum ante nullum aliud ejusdem speciei singulare exstaret, ex quo gignerentur.

§ Quantum igitur ad primam significationem attinet, † singulis tribus sanctæ Deitatis divinissimis personis vox ἀγένητος convenit. ‡ Ejusdem enim substantiæ sunt, & increatæ. ¶ Quantum autem ad secun-

§ *Max. Dial. cont. Arian.* † *Cyrill. Thes. ass.* 1. *p.* 12. ‡ *Greg. Naz. orat.* 35. ¶ *Joan.* 15. *v.* 26.

dam, non item: solus enim Pater inge nitus est. Nec enim ab alia persona habet u sit. Solus etiam Filius genitus est: ex Pa tris enim substantia absque initio ullo a tempore genitus est. Solus denique Spiri tus sanctus ex Patris quidem substantia pro greditur, non generatione, sed processione. Ita enim a Divina scriptura edocemur: ta metsi alioqui generationis ac processionis modus nulla ingenii vi comprehendi pos sit.

Quin illud quoque nosse interest, pater nitatis, filiteratis, † & processionis vocabul non a nobis ad beatam Deitatem esse trans lata, ‡ verum contra illinc nobis commu nicata, quemadmodum Apostolus ait: § *Propterea flecto genua mea ad Patrem, ex quo omnis Paternitas in cælo & in terra* est.

Quod si Patrem Filii principium & ma jorem esse dicimus, " haudquaquam his ver bis eum Filio vel tempore priorem vel na tura

† *Cyrill. Thes. ass.* 32. ‡ *Dionys. cap.* 1. *de div. nom.* § *Ephes.* 3. *v.* 14. " *Joan.* 14 *v.* 28.

tura præstantiorem esse indicamus † (" per ipsum enim fecit sæcula) nec denique alia re quam sola causa; * hoc est quia ex Patre genitus est, non autem Pater ex Filio; & quia pater naturaliter filii causa est: quemadmodum nec ignem ex luce prodire dicimus, verum lucem ex igne. Quocirca cum Patrem Filii principium ac Filio majorem audierimus, id causæ ratione intelligamus. Et ignem sicut non alterius substantiæ esse dicimus, ac rursus lucem alterius; eodem modo nec alterius substantiæ Pater, alterius Filius dici potest; sed unius ejusdemque. § Præterea, sicut ignem per lucem ex eo progredientem lucere dicimus; nec proinde tamen lucem illam ex eo manantem organum quoddam esse ipsi inserviens, sed vim quandam nativam statuimus: pari modo Patrem omnia quæ facit, per Unigenitum suum facere dicimus, non tanquam per servile quoddam organum, sed ut per vim naturalem & subsistentem. Insuper quemadmodum ignem il-

" *Hebr.* 1. *v.* 2. † *Greg. or.* 37. * *Athan. lib.* 1. *cont. Ar.* § *Greg. Naz. orat* 13. 31. & 37.

luminare dicimus, idemque rursus ipsius luci tribuimus; § sic *omnia quæ Pater facit, Filius etiam similiter facit*. At vero in hoc discrimen situm est, quod lux propriam & distinctam ab igne subsistentiam non habet. Filius autem perfecta hypostasis est, a Patrema hypostasi inseparabilis, ut superius a nobis ostensum est. Neque enim fieri potest ut in rebus creatis imago ulla aut similitudo reperiatur, quæ sanctæ Trinitatis modum in seipsa citra ullam dissimilitudinis notam representet. Quod enim creatum, & compositum, & caducum, & mutabile, & circumscriptum, & figura præditum, & corruptibile est, quo tandem modo supersessentialem essentiam divinam, ab his omnibus liberam, aperte declarabit? Perspicuum autem est res omnes creatas pleriisque ejusmodi affectionibus obnoxias esse, sicque a natura comparatas, ut corruptioni subjaceant.

Eodem etiam modo credimus in Spiritum sanctum, Dominum, & vivificantem, qui ex Patre procedit, & in Filio conquiescit

§ *Joan.* 5. *v.* 19.

fecit; qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur, † utpote consubstantialis & coæternus; Dei Spiritum, rectum, principalem; sapientiæ, vitæ, & sanctitatis fontem; Dei cum Patre & Filio cum rem habentem, tum nuncupationem; ‡ increatum, plenum, conditorem, continentem omnia ac moderantem, omnium effectorem, omnipotentem, infinitæ potentiæ, creatis omnibus imperantem, nulliusque imperio subjacentem; qui deos facit, non deus fit; qui implet, nec impletur; qui participatur, nec participat; sanctificat, nec sanctificatur; Paracletum, hoc est, consolatorem, ut qui universorum admittat obsecrationes: Patri & Filio per omnia similem; ex Patre procedentem; qui per Filium conceditur, & ab omni creatura percipitur; qui per seipsum creat, & rebus omnibus subsistentiam tribuit & sanctitatem, qui in propria subsistit, sive exsistit, hypostasi; qui a Patre & Filio nec separatur nec digreditur; qui omnia habet quæ Pater & Filius, excepta ingeniti & geniti proprietate

† *Greg. Naz. orat.* 37. ‡ *Idem orat.* 49.

te. Pater quippe causam non agnoscit, estque ingenitus. Non enim ex quoquam est (a seipso enim habet ut sit) nec quidquam eorum quæ habet, ab alio habet; quin potius ipse principium omnibus est & causa, tum quod sint, tum quod naturaliter certo modo sint. Filius autem ex Patre est generationis modo. Spiritus vero sanctus & ipse quoque ex Patre est, non gignendi tamen modo, sed procedendi. Et quidem generationem inter & processionem discrimen intercedere edocti sumus: cæterum quis sit hujus distinctionis modus, prorsus nescimus. * Simul porro & Filii ex Patre generatio, & Spiritus sancti processio est.

** Omnia igitur quæ Filius habet, Spiritus etiam a Patre habet; atque adeo hoc ipsum quod est. Quod si Pater non est, sane nec Filius est, nec Spiritus. Itidem nisi Pater aliquid habet, ne Filius quidem illud habeat, nec Spiritus: & propter Patrem, § id est, quia Pater est, tum Filius, tum

* *Greg. Naz. orat* 29. ** *Idem orat* 45. § *Idem. orat.* 23.

tum Spiritus ſanctus eſt. § Rurſuſque propter Patrem habet Filius quidquid habet, & Spiritus, hoc eſt, propterea quod Pater hæc habet; modo tamen, ingeniti, geniti, & proceſſionis proprietates excipias. In his enim duntaxat perſonalibus proprietatibus tres ſanctæ Trinitatis perſonæ inter ſe diſtinguuntur; non eſſentia, ſed peculiari cujuſque perſonæ nota indiviſim diſcretæ.

† Porro unumquemque ex his tribus perfectam atque integram ſubſiſtentiam habere dicimus, * ne alioqui compoſitam unam ex tribus imperfectis naturam perfectam intelligamus; ſed unam ſimplicem ſubſtantiam & eſſentiam omni perfectione ſuperiorem & anteriorem, in tribus perfectis perſonis noſcamus. Quidquid enim ex imperfectis conflatur, neceſſario compoſitum eſt. ** At ex perfectis hypoſtaſibus compoſitio fieri non poteſt. Quo fit ut nec ſpeciem ex hypoſtaſibus ſingulis, ſed in hypoſtaſibus

§ *Greg. Naz. or.* 23. † *Greg. orat.* 13. & 29. * *Athan. orat.* 5. *contra Arian.* ** *Baſil. orat. cont. Sabell. Ar. & Eunom.*

bus singulis dicamus. Imperfecta vero dicimus, quæ speciem non servant ejus rei quæ ex ipsis efficitur. Lapis enim, lignum, ferrum per se quidem, si peculiarem cujusque naturam spectes, perfecta sunt: at respectu domus quæ ex ipsis extructa est, singula imperfecta sunt. Neque enim quidquam horum, si privatim consideretur, domus est.

Quocirca perfectas quidem personas profitemur: ne in divina natura compositionem intelligamus. "Compositio enim dissidii mater est. At rursus tres personas in se invicem esse dicimus, ne Deorum copiam & turbam inducamus. Ita per tres personas hoc intelligimus, quod nullus hic compositioni & confusioni locus sit: per id autem quod tres personæ ejusdem substantiæ sunt, & aliæ in aliis; quod etiam eadem voluntas, eadem operatio, eadem vis ac potentia, ac denique idem, ut ita loquar, in illis motus est, hoc agnoscimus; quod nimirum in illis nulla divisio locum habeat, & quod unus sit Deus. Unus quip-

[a] *Greg. Naz. orat.* 29. 34. & 40.

quippe vere Deus est, Deus, Verbum & Spiritus ejus.

Hoc autem nosse interest, quod aliud sit quoad rem, & aliud ratione ac cogitatione considerari. Enimvero in omnibus creaturis discretio quidem personarum quoad rem consideratur. " Re quippe ipsa Petrum a Paulo separatum consideramus; § communitas autem & conjunctio atque unitas, ratione atque cogitatione perspicitur. Per mentem enim concipimus Petrum & Paulum ejusdem esse naturæ, naturamque unam communem habere. Nam uterque eorum animal rationale & mortale est: & uterque caro est, anima rationali & intelligente prædita. Hæc itaque communis natura ratione consideratur. Neque enim hypostases aliæ in aliis sunt, verum quælibet privatim & sigillatim, hoc est sejunctim consistit; habetque permulta quibus ab alia persona dirimatur. Nam & loco disjunguntur, & tempore discrepant, sententia quoque dividuntur, & forma sive figura, & habitu, & temperamento, & dignitate

" *Greg. Naz. orat.* 37. § *Idem. orat.* 32.

gnitate, & instituto vitæ genere, ac denique omnibus aliis proprietatibus, quibus tanquam certis quibusdam notis dignoscuntur. Inprimis autem inter se dissident, quod non alia in alia, sed quæque seperatim existunt. Ex quo etiam efficitur, ut duo, & tres, & multi homines dicantur.

Id quod in omnibus quoque conditis rebus animadvertere liceat. § In sacrosancta vero, & substantiam omnem exsuperante, atque ultra res omnes evecta & incomprehensibili Trinitate, contrario modo se res habet. Illic enim communitas quidem & unitas re ipsa consideratur, tum quia personæ coæternæ sunt, tum quia illarum eadem est essentia, facultas, voluntas, sententiæ conspiratio, eadem quoque auctoritas, potentia, bonitas. " Non dixi similitudinem, sed identitatem, atque unam motionis præsultationem. Una enim est essentia, una bonitas, una potestas, una voluntas, una facultas, una auctoritas; una inquam & eadem, non tres inter se similes

§ *Greg. Naz. orat.* 49. " *Idem. orat.* 40.

les, ſed una plane eademque trium perſonarum motio. Unaquæque enim ipſarum non minus unitatem habet cum alia, quam ipſa ſecum. § Unum quippe idemque omnino ſunt Pater & Filius & Spiritus ſanctus; niſi quod Pater ingenitus eſt, Filius genitus, & Spiritus ſanctus proceſſit. " Quod autem in ea diſcretum eſt, cogitatione percipitur. Unum quippe Deum cognoſcimus; in ſolis proprietatibus, nimirum paternitatis ', filiationis ; & proceſſionis; atque quantum ad cauſam & cauſatum, ac hypoſtaſis perfectionem, hoc eſt exiſtendi modum, diſtinctionem intelligimus. Neque enim diſtantiam ſecundum locum, ut apud nos, in Deitate quæ circumſcriptionem omnem excludit, admittere licet (ſunt enim perſonæ aliæ in aliis; non ut inter ſe confundantur, ſed ut cohæreant, juxta eam Domini ſententiam: † *Ego in Patre & Pater in me eſt*) nec voluntatis, aut ſententiæ; aut efficacitatis, aut potentiæ;

§ *Greg. Naz. orat.* 37. *Greg. Nyſſ. Ep. ad Ablab. Idem. orat.* 32. " *Baſil. Ep.* 43. † *Joan.* 14. *v.* 11.

tiæ ; aut alterius cujusquam rei , quæ realem ac omnimodam in nobis distinctionem gignat, discrimen ullum . Quapropter nec tres Deos Patrem & Filium & Spiritum sanctum dicimus ; quin potius sanctam Trinitatem unum Deum asserimus : sic videlicet ut Filius & Spiritus sanctus ad unum auctorem referantur , non autem componantur , aut juxta Sabellii contractionem una coalescant ac permisceantur (“ uniuntur enim , ut diximus , non ita ut confundantur , sed ut cohæreant ; atque sese invicem citra omnem contractionem ac commistionem pervadant) nec extra se invicem sistantur , aut quantum ad essentiam juxta Arii divisionem scindantur . Indivisa enim in divisis , ut rem breviter enunciem , Divinitas est ; ac velut in tribus solibus sibi invicem cohærentibus , nulla loci intercapedine disjunctis , una eademque lucis temperatio atque conjunctio . § Quare cum Deitatem , primamque illam causam , & Monarchiam , atque unam eandemque divinitatem

“ *Greg. Naz. orat.* 29. *Dionys. cap.* 2. *de div. Nom.* § *Greg. Naz. orat.* 37.

nitatis (ut ita dicam) motionem, & voluntatem, eandem essentiam ac potentiam, efficacitatemque, & dominationem intuemur, unum duntaxat sensui nostro obversatur. § At vero, cum ea, in quibus Deitas est, vel, si accuratius loquendum est, quæ Deitas est, atque ea quæ ex principe illa causa citra omne temporis spatium, gloriæque discrimen, ac separationem exsistunt; hoc est personas, consideramus, tria sunt quæ a nobis adorantur. Unus Pater, Pater; idemque principii h. e. causæ expers; (neque enim est ex aliquo) unus Filius, Filius; & ipse non sine principio, hoc est non sine causa est (ex Patre enim est) si tamen a tempore principium sumas, principii quoque expers est (neque enim tempori subest temporum effector) unus denique spiritus; Spiritus sanctus, ex Patre quidem procedens, non tamen filiationis modo, sed processionis; ut neque Pater ab ingeniti proprietate desciverit, quia genuit; neque Filius, a generatione, eo quod ex ingenito natus sit (qui enim hoc

§ *Idem orat.* 39. & 29.

fieri posset) nec postremo Spiritus, aut in Patrem, aut in Filium transiens, eo quod processerit, & quia Deus sit: immobilis siquidem est proprietas. Quonam enim alioqui modo constaret sibi proprietas, si moveretur atque in aliam transiret? Nam si Filius Pater est, Pater sane proprie non est (unus enim proprie est Pater) ac si Pater Filius est, proprie Filius non est: unus enim proprie Filius est, & unus Spiritus sanctus.

Hoc porro scire operæpretium est, nos Patrem ex aliquo esse non dicere; sed ipsum Filii Patrem appellamus. Filium item nec causam, nec Patrem dicimus; verum potius eum ex Patre esse, ac Patris Filium esse. Denique Spiritum sanctum, & ex Patre esse, & Patris Spiritum nominamus. †. At vero eum ex Filio esse non dicimus, Filii tamen Spiritum vocitamus. § *si quis enim Spiritum Christi non habet*, ait divinus Apostolus, *hic non est ejus* Quin & eum nobis per Filium manifestatum esse

† *Max. epist. ad Marin.* § *Rom.* 8. *v.* 9.

esse & impertiri profitemur & agnoscimus. * *Insufflavit enim*, inquit, *& dixit discipulis suis: Accipite Spiritum sanctum.* § Perinde ut ex sole quidem est cum radius, tum splendor (ipse enim fons est & radii & splendoris) per radium autem nobis splendor communicatur, & ipse est qui nos collustrat, atque a nobis participatur. At Filium denique nec Spiritus esse, nec ex Spiritu dicimus.

* *Joan.* 20. *v.* 22. § *Greg. Naz. orat.* 37.

De iis quæ de Deo dicuntur. CAP. IX.

DEus simplex est, nec compositus. Quod autem ex multis & diversis conflatur compositum est. Quocirca si increatum ac principii expertem esse, si incorporeum, immortale, æternum, bonum, rerum omnium opificem, cœteraque id genus, substantiales Dei differentias dixerimus; profecto quod ex tam multis conflabitur, non simplex, sed compositum erit; quod extremæ impietatis fuerit asseve-

re. Sic itaque existimandum est, ea omnia quæ de Deo dicuntur, non quid ratione substantiæ sit, significare, sed, aut quid non sit explicare, aut relationem quandam ad aliquid eorum, quæ ab ipso distinguuntur, aut quidpiam eorum quæ naturam aut operationem sequuntur.

Ex omnibus porro nominibus quæ Deo tribuuntur, nullum æque proprium videtur, atque ὁ ὤν (id est, *Qui est*: * quemadmodum ipsemet cum Moysi in monte responderet, ait: † *Dic filiis Israel*; *Qui est, misit me*. Nam totum esse, velut immensum quoddam ac nullis terminis definitum essentiæ pelagus complexu suo ipse continet: ut autem Dionysio placet, § primarium ipsius nomen est; bonus: neque enim de Deo dicere licet ipsum prius esse, tum bonum esse.

Secundum nomen est Θεὸς, (id est *Deus*) quæ vox vel a verbo θεεῖν ducta est, ‡ quia currat, & omnia circumobeat: vel ab

* *Greg. Naz. orat.* 36. † *Exod.* 3. *v.* 14. § *Dionys.* 2. 3. & 4 *cap. de div. Nom.* ‡ *Gregor. Cyril.*

ab καίειν, ideſt urere: † Deus enim ignis conſumens eſt: vel denique ἀπὸ τῶ θεᾶσθαι hoc eſt, quia omnia conſpiciat. Nihil enim oculos ejus fallere poteſt, ac rerum omnium inſpector eſt. Omnia enim priuſquam fierent contuitus eſt, ante omne tempus ea cogitatu complectens; reſque omnes præfinito tempore efficiuntur, pro illius, quæ tempori non ſubeſt, cogitatione cum voluntate conjuncta, quæ quidem præfinitio & imago & exemplar eſt.

Ac prius quidem vocabulum, hoc demum nobis declarat, quod ſit; * at non item quid ſit, Alterum autem operationem indicat. ἄναρχον porro, h. e. *principii expers*, incorruptibile, & increatum, & incorporeum, & inviſibile, aliaque ejuſmodi, quid non ſit oſtendunt; nempe quod non cœperit eſſe, non intereat, non ſit creatus, nec ſit corpus, nec videri oculis poſſit. Jam vero bonum, & juſtum, & ſanctum, aliaque ejuſmodi, naturam quidem comitantur; cœterum eſſentiam non

† *Theſ. Aſſert.* 5 * *Dionyſ. cap.* 5. *de div. Nom. Max. in hunc locum.*

declarant. Denique Dominus, Rex, & similia, relationem ad ea quæ ex adverso distinguuntur, liquido explicant. Nam & eorum quibus dominatur, Dominus dicitur, eorumque in quos regiam obtinet potestatem Rex nuncupatur; eorum item quæ facit, opifex audit & conditor; eorum denique quos pascit, pastor.

De Divina unione & distinctione. CAP X.

* HÆc igitur omnia communiter in tota divinitate accipienda sunt, atque eodem modo, & simpliciter, & individue, omninoque conjunctim: distinctim autem Pater & Filius & Spiritus sanctus; item quod causa caret, & quod a causa est, ac postremo ingenitum, genitum, & procedens; quæ quidem non ejusmodi sunt ut naturam denotent, sed mutuam inter se personarum relationem ac exsistendi modum.

Hæc

* *Dionys. cap.* 2. *de div. Nom. Greg. Naz. orat.* 37. & 35. *Greg. Nyss. Epist. ad ablab.*

Hæc igitur cum perſpecta habemus, atque ex his ad divinam eſſentiam veluti porrecta manu ducimur, non eſſentiam ipſam, ſed quæ ſunt circa eſſentiam, percipimus: quemadmodum nec ſi nobis exploratum ſit animam incorpoream eſſe, atque quantitate ac figura vacare, protinus ipſius quoque eſſentiam cognitam ac comprehenſam habuerimus: ſic ſimiliter, nec quamvis corpus aliquod, vel candidum, vel atrum eſſe nobis conſtet, proinde quoque ipſius eſſentia comperta nobis eſt. Porro vera doctrina Deum ſimplicem eſſe tradit, atque unam ſimplicem operationem habere, eamque bonam, & omnia in omnibus operantem; inſtar ſolaris radii, quia omnia fovet, atque in ſingulis, prout quodque naturali aptitudine præditum eſt, & ita comparatum, ut ipſum excipere poſſit, vim ſuam exerit; ab opifice videlicet Deo vim hujuſmodi conſequutus.

Diſtincta autem ſunt atque diſcreta ea omnia quæ ad divinam, benigniſſimamque erga homines Dei Verbi incarnatio-

nem pertinent. § In his enim nullæ omnino Patris & Spiritus sancti partes exititerunt, nisi quoad beneplacitum attinet; atque ad ea omni sermone superiora miracula, quæ Deus Verbum nobis similis homo factus, ut incommutabilis Deus, Deique Filius edebat.

§ *Greg. Naz. or.* 24. *Dionys. cap.* 2. *de div. Nom.*

De his quæ modo corporeo de Deo dicuntur.

CAP. XI.

* QUoniam autem plurima de Deo, corporibus affini quadam ratione in sacris literis symbolice ac per figuram dicta reperimus; illud noscamus oportet fieri non posse, ut nos qui homines sumus, crassaque carne involvimur, divinas illas, & excelsas, immaterialesque divinitatis actiones intelligamus ac sermone complectamur, nisi figuris & imaginibus, significque naturæ nostræ consentaneis utamur. Quo-

* *Dionys. cap.* 1. *de div. Nom.* 15. *de cæl. Hier. Greg. Naz. or.* 37.

Quocirca ea omnia quæ corporea vel paululum ratione de Deo enunciata sunt, figurate dicta sunt, altioremque sensum includunt: quippe cum Deus simplex omnisque figuræ expers existat. Igitur per oculos, & palpebras, vitamque Dei, vim ipsius rerum omnium inspectricem, atque ejusmodi cognitionem intelligamus, quam res nulla fugiat: ut nimirum sensus ministerio perfectior nobis atque certior cognitio accedat. Per aures & auditum ipsius ad ignoscendum propensionem atque in excipiendis precibus nostris benignitatem. Solemus enim per hunc sensum iis qui nobis supplices sunt, mites nos facilesque præbere; benignius videlicet aurem ipsis admoventes. Per os ac loquutionem, voluntatis ipsius declarationem accipimus. Quippe nos quoque abdita cordis sensa per os & sermonem promimus. Per cibum & potum, promtum nostrum ad voluntatem accessum. Etenim nos quoque necessarium naturæ appetitum explemus per gustus sensum. Per olfactum, vim eam, qua cogitationem ac benevolentiam gratam acceptam

ptamque habet, Siquidem & nos odorum fragrantiam per hunc sensum excipimus. Per faciem, ipsius per opera demonstrationem ac ostensionem. Quandoquidem nos quoque ex vultu oreque palam dignoscimur. Per manus, actionem illam, qua opera sua absolvit. Nam nos etiam utilissima quæque & præstantissima opera nostris manibus efficimus. Per dexteram, ipsius in rebus secundis opem & auxilium; ex eo nempe quod nos in rebus honestioribus ac insignioribus, quæque plurimum roboris requirunt, dextra potius utimur manu. Per tactum, certissimam ipsius minutissimarum ac occultissimarum rerum explorationem & exactionem: ob id scilicet, quod illi quoque, quos contrectamus, nihil in se occultare queant. Per pedes & incessionem, adventum ipsius & præsentiam, vel ad opem egentibus ferendam, vel ad hostes ulciscendos, vel ad rem aliam gerendam: quod nimirum nobis quoque hoc pedes præstent, ut ad locum aliquem perveniamus. Per jusjurandum, consilii ejus immutabilitatem: quod apud nos interposito

jure-

jurejurando mutua pacta firmentur. § Per iram & furorem, infenſam ejus erga malitiam voluntatem ac odium. Nam & nos ea quæ cum voluntate & ſententia noſtra pugnant odio habentes, in iram prorum pimus. Per oblivionem, ſomnum & dormitationem, animadverſionis in hoſtes dilationem, temporiſque moras in auxilio conſueto ferendo iis, quos charos ac neceſſarios habet. Denique, ut uno verbo dicam, in iis omnibus quæ de Deo corporeo modo enunciantur, abſtruſus quidam ſenſus ineſt, quo per illa quæ nobis congruunt, ea quæ ſupra nos ſunt edocemur: niſi forte quidpiam de corporeo Dei adventu dictum eſt. Nam ipſe totum hominem ſalutis noſtræ cauſa ſuſcepit; hoc eſt animam intelligentem, & corpus, atque humanæ naturæ proprietates, nec non naturales, nullique reprehenſioni obnoxias paſſiones.

§ *Greg Naz. orat.* 37.

De iiſdem rebus, CAP. XII.

ENimvero hæc ex ſacris, ut divinus

ait

ait Dionysius Areopagita, § docemur oraculis; quod nempe Deus omnium causa ac origo sit; eorum quæ sunt, essentia; viventium vita; rationalium ratio; intelligentium, intellectus; ac eorum quidem qui ab eo labuntur, revocatio & erectio; * eorum autem qui id quod naturæ consentaneum est, corrumpunt & vitiant, renovatio & instauratio; eorum qui profanis quibusdam fluctibus jactantur, sacra stabilitas; stantium tutum præsidium; assurgentium ad ipsum via & manuductio, qua in altum subvehuntur. † Addam etiam, eorum qui ab ipso facti sunt, Pater. Etenim, si proprie loquamur, Deus pater noster verius est, qui ex nihilo nos produxerit, quam qui nos genuerunt; utpote qui tum ut sint, tum ut gignerent, ipsius munere sunt consequuti. Est insuper & eorum qui ipsum sequuntur, & eo pastore reguntur, pastor: eorum qui illuminantur, coruscatio; eorum qui sacris mysteriis imbuuntur, ini-

§ *Dionys.* 1. *can. de div. nom.* * *Inf lib.* 2. *c.* † *Athan. orat.* 2. *cont. Ar. Cyrill. Thes. assert.* 73.

initiationis auſpex; eorum qui Deitate donantur, Deitatis largitor; diſſidentium, pax; ſimplicitati ſtudentium, ſimplicitas; colentium unitatem, unitas: principii omnis, principium, eſſentia omni principio ſublimius: ac denique occulti ſui, id eſt ſuæ cognitionis, quantum fas eſt, ac pro cujusque captu, benigna communicatio.

Adhuc, de divinis nominibus accuratius.

Deus, incomprehenſibilis cum ſit, omnino quoque nominari non poteſt. Cum itaque ipſius eſſentiam ignoremus, †eſſentiæ ipſius nomen ne inquiramus. Nomina quippe rerum manifeſtantia ſunt. At Deus qui bonus eſt, noſque idcirco ex nihilo produxit, ut ipſius bonitatis participes ſimus, quique cognoſcendi vim nobis indidit, ſicut eſſentiam ſuam nobis non impertivit, ſic ne eſſentiæ quidem ſuæ cognitionem tribuit. ¶ Neque enim fieri poteſt ut natura ſuperiorem ſe naturam plene cognoſcat. At ſi cognitiones ſunt earum re-

† *Greg. Naz. orat.* 36. *Dionyſ. cap.* 1
¶ *Dionyſ.* 1. *de div. nom.*

rerum, quæ sunt, quod essentia omni sublimius est, quonam velim modo cognoscatur? Quare inenarrabili ipsius bonitate factum est, ut ex his quæ nobis familiaria sunt, nominari voluerit; ne alioqui ejus cognitionis prorsus expertes essemus, sed notionem ipsius, quamlibet obscuram, haberemus. Et quidem, quatenus omnem animi comprehensionem superat, nullum ei nomen assignari potest: quatenus autem omnium auctor est, rerumque omnium causas & rationes in se continet, ex omnibus rebus, etiam inter se contrariis, nominatur, velut a luce & tenebris, ab igne & aqua; ut intelligamus, hæc illum secundum essentiam non esse, sed potius supra essentiam esse, nec ullo nomine appellari quidem posse, cæterum ut omnium causam, a cunctis effectis nominari.

Quocirca ex divinis nominibus quædam per negationem dicuntur, quibus essentiam omnem eum superare declaratur; velut cum essentiæ expers, sine tempore, sine principio, invisibilis dicitur: non quod re ulla inferior sit, aut illi quidquam desit (ipsi-

ipſius enim ſunt omnia, atque ex ipſo, & per ipſum ſunt, & in ipſo conſtant) ſed quia eminenti modo rebus omnibus excelſior eſt. Non enim quidquam eſt eorum quæ ſunt, ſed ſuper omnia. Sunt autem alia quæ per affirmationem efferuntur; ea nimirum quæ de eo dicuntur. ut eſt omnium rerum cauſa. Nam velut omnium omniſque eſſentiæ auctor, & Ens dicitur & eſſentia: utque omnis rationis & ſapientiæ, rationalis & ſapientis cauſa; & ratio dicitur, & rationalis; ſapientia item, & ſapiens. Eodem modo, & mens dicitur, & intelligens; vita & vivens; potentia & potens; itemque in omnibus aliis rebus. Quinimo ex præſtantioribus, quæque propius ad eum accedunt, aptius nuncupabitur. Præſtantiora autem ſunt, eique propinquiora, quæ materia carent, quam quæ materialia ſunt; quæ pura, quam quæ impura; & quæ ſancta, quam quæ profana; ut pote quæ ejus aliquid uberius habeant. Itaque affiniori longe ratione Sol & lumen appellabitur, quam tenebræ; & dies, quam nox; vitaque, quam mors; itemque ignis,

& Spiritus, & aqua, ut quæ vivifica sunt, quam terra; ac præ his omnibus, bonitas, quam malitia: quod perinde est ac si dicerem, res potius, quam nihil. Bonum enim existentia est, & existentiæ causa; malum autem boni sive existentiæ privatio est. Atque hæc sunt vocabula affirmantia & negantia. Ex utrisque porro suavissima connexio fit: v. g. supereſſentialis essentia, super divina Deitas, principium omni principio superius, aliaque similia. Sunt etiam quædam, quæ tametsi de Deo affirmando dicuntur, præcellentis tamen negationis vim habent. Quo in genere illud est, cum Deum tenebras appellamus; non quod Deus tenebræ sit, sed quod non sit lux, sed omni luce sublimior exsistat. † Deus itaque, & mens, & ratio, & spiritus, & sapientia, & potentia dicitur, ut horum auctor, ut materiæ expers, ut omnium artifex & omnipotens. Atque hæc tum communiter de tota Deitate dicuntur (tam quæ affirmando, quam quæ negando efferuntur) tum sigillatim de qualibet san-

ctæ

† *Dionys. de div. nom. cap. 5.*

ctæ Trinitatis persona, æqualiter, eodemque modo, & nullo defectu. Nam, cum ex tribus personis unam considero, perfectum illam Deum, perfectamque substantiam agnosco, rursus cum tres personas connecto, simulque recenseo, Deum unum perfectum agnosco. Neque enim compositum quoddam est divinitas; sed in tribus perfectis perfectum unum, indivisum, nec compositum. Cum denique mutuum respectum personarum animo verso, illud compertum habeo, Patrem super essentialem solem esse, bonitatis fontem, essentiæ, rationis, sapientiæ, potentiæ, luminis, divinitatis abyssum; occulti in se boni genitricem productricemque scaturiginem. Ipse quippe mens est, rationis abyssus, Verbi genitor, ac per Verbum manifestantis Spiritus productor. Ac, ne multa dicam, non est alia Patri ratio, sapientia, potentia, voluntas præter Filium, qui sola est Patris potentia, rerum omnium creationis primordialis virtus; velut perfecta persona ex perfecta persona genita, quo modo ipse novit, qui Filius est,

diciturque. Ac postremo Spiritus sanctus Patris potentia est, divinitatis recondita declarans, ex Patre per Filium procedens, qua ipse novit ratione; non tamen generationis: quo fit etiam ut Spiritus sanctus omnium creationis consummator exsistat. Quocirca omnia quæ causæ, patri, fonti, genitori conveniunt, ea Patri soli adscribi debent: quæ autem producto, genito, filio, verbo, primordiali potentiæ, voluntati, sapientiæ quadrant, ea Filio tribuenda sunt: quæ denique producto per processionem, manifestanti, ac perficienti potentiæ, hæc Spiritui sancto. Pater fons est, & auctor, tum Filii, tum Spiritus sancti: solius tamen Filii Pater, ac Spiritus sancti productor. Filius autem, Filius est, Verbum, sapientia, potentia, imago splendor, Patris figura, & ex Patre. At Spiritus sanctus non Patris Filius; sed Spiritus Patris, ut qui ex Patre procedat. Nullus enim impulsus est sine spiritu. Quin Filii quoque Spiritus dicitur, non velut ex ipso, sed per ipsum ex Patre procedens. Solus enim Pater auctor est.

De loco Dei & quod ſolus Deus incircumſcriptus ſit. CAP. XIII.

LOcus corporeus eſt terminus continentis, quo continetur id quod continetur: v. g. * aer continet; corpus continetur. Nec tamen totus aer locus eſt corporis contenti, ſed extremitas duntaxat ambientis, quæ totum corpus attingit. Sic plane, quia id quod continet, non eſt in eo quod continetur.

Eſt autem etiam ſpiritualis locus, ubi inteligitur & exiſtit intellectualis natura & incorporea; ubi nimirum præſens eſt & agit; nec corporeo modo continetur, ſed ſpirituali. Non enim figuram habet, qua corporum more contineatur. Et quidem Deus, ut qui materiæ expers ſit, & incircumſcriptus, in loco non eſt. § Ipſe enim ſui ipſius locus eſt, omnia implens, ac ſuper omnia exiſtens, omniaque ipſe complectens. Attamen in loco eſſe dicitur, Deique appellatur locus, ubi ejus virtus &

* *Ariſt. Lib.* 4. *Phiſic. cap.* 4.

§ *Greg. Naz. orat.* 34.

operatio manifesta sunt. Ipse enim citra ullam permistionem omnia permeat, rebusque omnibus operationem suam impertit, pro uniuscujusque aptitudine ac suscipienda facultate; hoc est tum naturali, tum voluntaria puritate. Puriora siquidem sunt, quæ materiæ immersa non sunt, quam materialia; & proba atque honesta, quam prava, & cum malitia conjuncta. Ergo Dei locus is dicitur, qui uberioris ipsius operationis & gratiæ particeps est. † Idcirco cœlum sedes ejus est (illic enim sunt angeli, qui faciunt ipsius vololuntatem, eumque semper laudibus celebrant) hæc quippe ipsi est requies: terra autem scabellum pedum ejus; in qua per carnem cum hominibus conversatus sit. Pes porro Dei sancta ipsius caro variis locis nominata est. Quin Ecclesia quoque Dei locus dicitur, quia eam ad ipsius canendas laudes, ceu templum quoddam, secrevimus, in quo eum exoremus. Ad eundem modum loca in quibus perspicua fit nobis ipsius operatio, sive per carnem, sive absque

† *Isai.* 66. *v.* 1.

ſque corpore, Dei loca dicuntur.

Sciendum autem eſt Deum partibus carere; ut totus omnino ubique ſit, & non pars in patre, more corporum diſtrahatur. ſed totus in omnibus, & totus ſupra omnia exiſtat.

Angelus autem, etſi non ad modum corporis ita in loco continetur, ut formam & figuram recipiat; in loco tamen eſſe dicitur, quia ſpirituali modo adeſt & agit, prout naturæ ſuæ conſentaneum eſt; nec alibi eſt: ſed ibi inteligibili modo circumſcribitur, ubi & operatur. Neque enim in diverſis locis eodem tempore operari poteſt. Dei namque ſolius eſt ubique ſimul operari. Nam Angelus quidem ob naturæ pernicitatem, ac quia promte ac celeriter petranſit, in diverſis locis operatur; at Deus, ut qui ubivis, ac ſupra omnia ſit, eodem temporis momento, una & ſimplici operatione varie ubique agit.

Porro anima, tota toti cotpori divincta eſt, & non pars parti: nec eo continetur, ſed ipſum continet, haud ſecus ac ignis ferrum; inque illo exiſtens ſuas ipſa

functiones obit.

Circumscriptum hoc est, quod loco vel tempore vel animi perceptione comprehenditur: † incircumscriptum autem quod nullo horum continetur. Quamobrem solus Deus incircumscriptus est, qui principio & fine careat, atque omnia complectatur, nullatenus ipse comprehensus. Solus enim incomprehensus ipse est, nullis definitus terminis, & a nemine cognitus, qui solus ea vi polleat qua se plene contempletur. Ac Angelus & tempore circumscribitur (incepit enim esse) & loco (tametsi spirituali, ut prædiximus, ratione) & comprehensione. Nam & alii aliorum naturam quodam modo exploratam habent, prorsusque ab opifice definiuntur. Corpora denique & principio circumscribuntur, & fine, locoque corporeo, & comprehensione. Collectanea de Deo Patre & Filio & Spiritu sancto; deque Verbo & Spiritu.

Deus igitur omnino immutabilis & invariabilis est. Omnia enim, quæ in arbitrio ac potestate nostra posita non sunt, præscien-

† *Greg. Naz. orat.* 44.

ſciendo præfinivit; ſingula videlicet ſuo & convenienti tempore & loco futura. * Quocirca *Pater non judicabit quemquam; ſed judicium omne dedit Filio*. Judicabit ſiquidem Pater & Filius, ut Deus; nec non Spiritus ſanctus; at Filius ipſe corporaliter ut homo deſcendet, inque ſede majeſtatis ſedebit (deſcenſus enim atque ſeſſio corporis circumſcripti ſunt) & univerſum orbem in juſtitia judicabit.

Omnia a Deo diſtant; non loco, ſed natura. In nobis prudentia ſapientia, conſilium, ut habitus, accedunt & recedunt: non item in Deo: nam in eo nihil accidit aut excidit: quippe cum mutationis & alterationis expers ſit, atque in eo accidens aliquod admittere nefas ſit. Bonum enim, Dei eſſentiam comitatur. Qui Deum ſemper deſiderat, hic ipſum videt: in omnibus enim Deus eſt. Ab eo ſiquidem qui eſt, ea quæ ſunt dependent: nec eſſe aliquid poſſit, quod eſſe non habeat in eo qui eſt. Rebus quidem omnibus immiſtus Deus eſt, ut continens & conſervans na-

* *Joan.* 5. *v.* 22.

turam: at Deus Verbum sacræ suæ carni personaliter unitus, ac nostræ naturæ citra confusionem admistus est.

† Nemo videt Patrem nisi Filius & Spiritus sanctus.

Patris consilium & voluntas, sapientia & virtus est filius. Non enim qualitatem Deo fas est adscribere; ne alioqui compositum asseramus ex substantia & qualitate.

** Filius ex Patre est, & cuncta quæ habet, ab ipso habet: § nec a proinde se potest quidquam facere. Neque enim distinctam a Patre operationem habet.

* Quod Deus, qui natura invisibilis est, Per operationes tamen visibilis fiat, ex mundi nobis structura & gubernatione clarum est.

‡ Imago Patris est Filius, ac Filii, Spiritus; ¶ per quem ille in homine habitans, ad imaginem Dei esse eidem impertit.

Deus est Spiritus sanctus, inter ingenitum & genitum medius, & qui per Filium

Pa-

† *Joan.* 6. *v.* 46. ** *Joan.* 5. *v.* 20.
§ *Greg. Naz. or.* 36. * *Sap.* 13. *v.* 5.
‡ *Basil. lib.* 5. *cont. Eun.* ¶ *Greg. Naz. or.* 37

Patri connectitur. Spiritus Dei dicitur, Spiritus Christi, mens Christi, Spiritus Domini, Dominus ipse, Spiritus adoptionis, veritatis, libertatis, sapientiæ (horum enim omnium efficiens est) omnia essentia replens, omnia conservans: mundum implens per essentiam; cujus tamen potentiam mundus capere non possit.

Deus est æterna substantia & incommutabilis, rerum creatrix, religiosaque adoranda conscientia est.

Deus & Pater sempiternus est, ingenitus; ut qui ex nullo genitus sit, Filiumque pariter sempiternum genuerit. Deus etiam Filius, qui cum Patre semper existens sine tempore, ac sempiterne, absque fluxione, & individue ex eo genitus sit. Deus quoque Spiritus sanctus, vis sanctificans, subsistens; qui ex Patre absque se junctione procedens. ac in Filio quiescens, ejusdem & ipse cum Patre & Filio substantiæ sit.

Verbum est, quod cum Patre substantialiter semper est. Rursus verbum est naturalis mentis agitatio, qua movetur,

&

& intelligit, & cogitat; veluti lux ipsius & splendor exsistens. Est præterea verbum intimum, quod in corde tantum eloquimur. Est denique verbum intelligentiæ nuntius, quod scilicet ore profetur. Deus itaque Verbum substantivum est & subsistens; tria vero reliqua animi sunt facultates, nec considerantur in propria subsistentia. Quorum primum, naturalis est mentis fœtus, naturaliter ex ipsa semper ut ex fonte manans: secundum, internum dicitur: tertium, prolatitium.

Eodem modo spiritus variis modis consideratur. Nam hoc nomine appellatur & spiritus sanctus: sed & Spiritus sancti virtutes, dicuntur Spiritus. Spiritus item est Angelus bonus; spiritus dæmon; spiritus anima: ac interdum mens quoque spiritus vocatur. Postremo & ventus & aer, spiritus nuncupantur.

Proprietates, seu attributa divinæ naturæ.

INcreatum, & sine principio, immortale, infinitum, æternum, materia vacans

cans, bonum, opifex, juſtum, illuminans, immutabile, impatibile, incircumſcriptum, incomprehenſum, indefinitum, incorporeum, non limitatum, inviſibile, cogitatu majus, nullius egens, merum jus ſui & liberum arbitrium, omnium dominans; vivificans, omnipotens, infinitæ potentiæ, ſanctificare, ac communicatu eſſe, omnia continere & conſervare, omnibuſque providere; Hæc omnia ſimilia ſuapte natura habet, non aliunde ſumta; ſed ipſa rebus a ſe conditis pro cujuſque capacitate bonum omne impertit.

Perſonarum in ſe invicem manſio & inſeſſio (hæ enim divelli nequeunt, in ſe invicem circum inſeſſionem confuſionis expertem ſervantes; non ut contrahantur & permiſceantur, ſed ut ſimul cohæreant) Filius enim in Patre & Spiritu ſancto eſt: † Spiritus item in Patre & Filio: ac denique Pater in filio & Spiritu ſancto: ſic tamen ut nulla permiſtio ſit, aut confuſio. Unus item & idem motus. Una enim & eadem trium perſonarum proſultatio, una-

que

† *Greg. Naz. or. 1. 13. & 40*

que motio est: quod quidem in creata natura perspici nequit.

Huc accedit quod divina coruscatio & operatio, * quæ una, simplex, & indivisa est, cum pro boni alia aliave ratione in dividuis varia fiat, ac universis ea quæ cujusque propriam naturam constituunt; continentque, distribuat, simplex nihilominus maneat, sicque in rebus divisis multiplicetur, ut interim ea in quæ divisio cadit, ad suam simplicitatem colligat & convertat. Eam enim omnia appetunt, inque ea exsistunt; ipsaque omnibus rebus pro cujusque natura esse tribuit. Hæc esse est eorum quæ sunt, viventium vita, rationalium ratio, intelligentium intelligentia; cum tamen ipsa, & supra mentem, & surpa rationem, & supra vitam, & supra essentiam exsistat.

Adde qnod sine commistione ulla omnia pervadat; cum contra nihil eam possit penetrare: illudque item quod simplici cognitione omnia cognoscat, ac divino suo, omnibusque modis perspicaci & sine ma-

* *Dionys. cap. 5. de div. nom.*

materia oculo, ſimpliciſſime tam præſentia, quam præterita, & futura prius quam fiant, contueatur: § tum etiam quod nullum in eum peccatum cadat, quodque peccata dimittat, & ſalutem afferat: ac denique illud, quod poſſit quidquid vult: non tamen velit quidquid poteſt. Poteſt enim mundum perdere, & non vult.

§ *Greg. Naz. orot.* 40.

LIBER SECUNDUS.

De ſæculo, ſeu ævo. CAP. I.

IPſe ſecula fecit, qui ante ſecula erat: quem divinus David his verbis affatur: * *a ſeculo & uſque in ſeculum tu es.* De quo item divinus Apoſtolus, § *per quem fecit & ſecula.*

Sciendum itaque, nomen ſeculi, ſeu ævi, multipliciter accipi: complura enim ſignificat. † Nam & hominis cujusvis vita ſeculum dicitur. ¶ Seculum item, tempus mille annorum appellatur.

Ad

* *Pſal.* 89. *v.* 2. § *Heb.* 1. *v.* 3. † *Ariſt. lib. de cœlo. Text.* 100. ¶ *Math.* 12. *v.* 32.

* Ad hæc seculum nominatur, totum præsentis vitæ curriculum, § & futura illa ac post resurrectionem immortalis vita. Quin seculum quoque dicitur, non tempus, nec temporis pars ulla solis motu accursu definita, sive ex dierum noctiumque serie conflata: sed ille velut temporalis motus, ac spatium, quod una cum iis quæ æterna sunt protenditur. Quod enim iis quæ tempori subsunt tempus est, hoc perpetuis est seculum.

Jam vero septem hujusmundi secula dicuntur; hoc est, a cæli terræque creatione usque ad communem hominum consummationem & resurrectionem. Etenim privata quidem est consummatio, mors cujusque; communis autem, & integra, quum communis omnium resurrectio continget. Octavum porro seculum, ævum futurum est.

† Cæterum ante mundi productionem, cum ne Sol quidem esset, qui diem a nocte distingueret, ejusmodi seculum non e-

rat

* *Luc.* 29. *v.* 34. *& alibi.* § *Greg. Naz. orat.* 35. 38. 42. † *Greg. Naz. orat.* 44.

rat quod mensurari posset; sed ille velut temporalis motus quidam, & intervallum, quod una cum æternis rebus exporrigeretur. Atque hac quidem ratione unum est seculum, secundum quam Deus etiam αἰώνιος, q. d. *secularis* nuncupatur; imo & seculo antiquior, ut pote qui ipsum seculum ipse fecerit. Deus enim, cum solus principio careat, universorum ipse est, tum seculorum, tum rerum omnium parens. Deum porro dicens, proculdubio & Patrem dico, Filiumque ejus unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum, & sanctissimum ejus Spiritum, unum Deum nostrum.

Quod autem seculorum secula dicuntur, ideo fit quod septem hujus mundi secula, multa secula, seu vitas hominum, complectuntur. Atque unum illud seculum secula omnia complexu suo tenet: seculumque seculi, dicitur præsens hoc & futurum. Porro αἰώνιος, seu secularis, ac perpetua vita & pœna, futuri seculi nullo fine limitata spatia declarant. Neque enim post resurrectionem suus tempori dierum noctiumque numerus constabit: sed unus potius vespe-

ræ expers dies erit (Sole nempe justitiæ probis hominibus splendide & hilariter illucescente) peccatoribus contra, nox densa & sempiterna. Quonam pacto igitur cohærebit illud mille annorum curriculum, quo exacto, ut Origenes censuit, in integrum omnia restituentur? Proinde seculorum omnium unus parens & effector est Deus, qui etiam cuncta fabricatus est, ac seculis antiquior exsistit.

De rerum creatione. CAP. II.

QUoniam igitur bonus, omnique bonitate præstantior Deus, non satis habuit sua ipsius contemplatione frui; sed pro nimia bonitate sua quædam esse voluit, † quæ ipsius afficerentur beneficiis, * ejusque bonitatis participes forent: eam ob causam ex nihilo producit conditque universa, tam invisibilia, quam visibilia; atque etiam hominem ex aspectabili & non aspectabili natura conflatum. Porro cogitando creat; cogitatioque illa, verbo complen

† *Greg. Theol. orat.* 38. 42.

* *Dion. cap.* 4. *de Eccl. Hier.*

Plente & ſpiritu conſummente, conſiſtit.

De Angelis. CAP. III.

IPſe Angelorum opifex & conditor eſt, ut qui eos ex nihilo produxerit, † atque ad imaginem ſuam ereaverit, naturam incoream, * velut ſpiritum quendam aut ignem materia vacuum, quemadmodum divinus David ait: *qui facit Angelos ſuos ſpiritus & miniſtros ſuos flammam ignis*. quibus comm levitatem, ardorem, fervorem, penetrabilitatem, & acrimoniam qua Deum deſiderant, eique inſerviunt, deſcribit, atque indicat eos ad ſuperna ferri, & ab omni materiali cogitatione exemtos eſſe.

Angelus itaque eſt ſubſtantia intelligens, perpetuo motu, nec non arbitrii libertate prædita, corporis expers, Deo ſerviens, immortalitatem in natura Dei munere conſequuta: cujus formam ſubſtantiæ ac definitionem creator ſolus novit. Quod autem corpore ac materia vacare dicitur, hoc noſtri ratione intelligendum eſt. Alioqui enim quidquid cum Deo confertur, qui ſolus nul-

† *Greg. Naz. or.* 38. 42. * *Pſal.* 103. *v.* 4.

li comparari potest, crassum & materiale invenitur. Sola quippe divina natura vere & materia & corpore vacat.

Est igitur Angelus natura rationalis, intelligens, libera, vertibilis secundum sententiam, sive voluntate mutabilis. Quidquid enim creatum est, mutationi subesse necesse est: solum autem extra mutationis aleam illud est, quod increatum est. Rursusque id omne quod rationale est, arbitrii quoque libertate præditum est. Angelus itaque ut natura est rationis particeps, & intelligens, liberi est arbitrii; ut creata, mutabilis est, cui liberum sit vel manere in bono, & in eo proficere, vel in malum inflecti.

Pœnitentiæ porro ea ratione minime capax est; † quia incorporeus est. Nam quod homo pœnitentiam consequutus sit, id corporis imbecillitati fuerit adscribendum.

Immortalis est, non quidem natura, sed Dei munere & gratia. Quidquid enim ortum habuit, finem quoque suapte natura habiturum est. Solus siquidem Deus semper

† *Nemes. c.* 1.

per est; imo & sempiterno superior. Non enim sub tempore, sed supra tempus est, qui fecit tempora.

Secunda lumina spiritualia, ex primaria illa luce omnisque principii experte, § splendorem habentia; quibus nec lingua opus sit, nec auribus: sed sine ulla prolati sermonis ope mutuo sibi sensa sua communicant & consilia.

† Per Verbum omnes Angeli creati, & sancto Spiritu sanctificante consummationem acceperunt, ut pro sua quisque dignitate & ordine splendoris gratiæque participes essent.

Circumscripti sunt: nec enim cum in cœlo sunt, in terra versantur; nec cum a Deo in terram mittuntur, remanent in cœlo. Cœterum nec mœnibus, nec foribus, nec repagulis, nec sigillis cohibentur. Non enim certis ullis terminis definiri aut coerciti sunt. Nullis terminis definitos dico; eo quod probis & dignis, quibus eos Deus visendos exhiberi voluerit, non quales existunt appareant, sed in aliam mutati formam, prout videntium obtutus ferre queat.

§ *Greg. orat.* 38. † *Greg. orat.* 36.

Nam alioqui id solum natura ac proprie nullis definitur terminis, quod increatum est. Quidquid enim est creatum, intra terminos suos a Deo creatore finitur.

Porro aliunde quam a natura sua sanctitatem habent, † nimirum a Spiritu sancto. Dei illustrante gratia, futura prædicunt. Conjungio minime indigent, cum immortales sint.

Jam vero cum mentes sint, in hujusmodi quoque locis sunt, quæ mente intelliguntur: non quod corporeo modo circumscribantur (neque enim more corporum, quoad naturam attinet, figurantur, aut trina dimensione distenti sunt) sed quod ubi se conferant, illic spiritaliter adsint & operentur; nec eodem tempore hic atque illic esse & operari possint.

Ac quoad essentiam quidem æquales ne sint inter se, an dispares, compertum non est: § solus hoc scit, creator illorum Deus, ¶ qui universa explorate novit. Splendoris modo & gradu differunt; sive pro splendo-

† *Epit. div. decr. c.* 8. § *Dionys. de cæl. Hier. c.* 3. ¶ *Greg. Naz. orat.* 34.

doris proportione gradum sint consequuti; sive contra pro sedis discrimine splendorem perceperint. Alii alios illustrant, ob ordinis vel naturæ præstantiam. Liquet autem eos qui sublimiores sunt, inferioribus lumen ac scientiam affundere.

Ad explendam porro Dei voluntatem fortes & promti sunt, eaque celeritate præditi, ut ubi Dei nutus jusserit, statim inveniantur. Certas etiam quisque terræ partes custodiunt, § nationibus & regionibus præsident, prout a summo opifice præfecti sunt: "res nostras gubernant, ac nobis opem ferunt; ea plane ratione, ut ex divina voluntate & præscripto supra nos positi, Deum quoque semper circumstent.

Sunt quidem ad malum ægre mobiles, non tamen immobiles prorsus: nunc vero omnino ad illud moveri non possunt, ¶ non suapte natura, ♄ sed gratia, eaque constantia, qua unico illi bono adhærent.

Deum porro intuentur, ut fert captus

§ *Dionys. da cœl. Hier. c. 9.* " *Greg. Naz. iaid.* ¶ *Greg. orat. 38.* ♄ *Basil. de Spir. c. 16.*

ipsorum, eoque cibo aluntur.

Nobis superiores existunt, ut incorporei, atque a corporea passione immunes; non tamen ab omni prorsus passione liberi sunt; quippe quod uni Deo proprium sit.

Transformantur autem in quodcumque Dominus Deus præceperit, atque ita se hominibus conspicuos præbent, eisque divina mysteria aperiunt.

In cœlo degunt, unumque hoc munus habent, ut Deum laudent, divinamque voluntatem ejus exsequantur.

Ut autem sanctissimus, sacratissimusque, & in Theologia præstantissimus vir Dionysius Areopagita ait, § Theologia omnis, hec est scriptura sacra, cœlestes substantias novem recensuit. Has divinus ille sacrorum Magister, in ter ternos ordines distinxit, quorum primum illum esse dicit, qui Deum semper circumstat, quemque proxime, nulloque medio ei cohærere traditum est: nempe senis alis instructorum Seraphim, oculis plenorum Cherubim, ac sanctissimorum Thronorum: secundum, Do-

§ *Dionys. c. 6. de cæl. hier.*

Dominationum, Virtutum, & Poteſtatum: tertium denique ac poſtremum, Principatuum, Archangelorum, ac Angelorum.

Et quidem nonnulli eos ante alias res conditas factos eſſe dicunt; § quemadmodum his verbis teſtatur Gregorius Theologus: *Primum Angelicas & cæleſtes virtutes cogitat, ac cogitatio illa opus exſtitit.* Alii poſt primum cœlum conditum, eos creatos malunt. Quod enim ante hominis formationem orti ſunt, apud omnes conſtat. Ego vero in Gregorii Theologi ſententiam manibus ac pedibus eo. Decebat enim primum creari intelligentem naturam, deinde ſenſibilem, atque ita demum hominem ex utraque conſtantem.

Quotquot autem ſunt, qui ſubſtantiam ullam, quæcumque tandem illa ſit, ab angelis creatam eſſe contendunt, horum ore Diabolus loquitur. Cum enim creaturæ ſint, rerum minime conditores ſunt. Univerſorum vero opifex, proviſorque, ac conſervator Deus eſt; qui ſolus increatus exiſtens, in Patre & Filio & Spiritu ſancto

§ *Greg. Theol. orat.* 2.

laudatur ac glorificatur.

De Diabolo & Dæmonibus. CAP. IV.

EX his Angelicis virtutibus, terrestris ordinis princeps, cui custodiendæ terræ cura a Deo commissa fuerat, † non natura malus conditus, sed cum bonus esset, bonique causa factus esset, atque ejusmodi, ut ne minimum malitiæ vestigium ex creatore in eo exstaret, splendorem illum ac honorem, quem creatoris beneficio consequutus erat, non ferens, libera voluntate, ex eo quod naturæ consentaneum est, in id quod est contra naturam, immutatus est, atque adversus opificem suum Deum rebellationis ergo se extulit, ac primus a bono discedens, malus evasit. Neque enim quidquam aliud malum est, nisi boni privatio; haud secus ac tenebræ nihil aliud sunt nisi luminis absentia. * Bonum quippe, spirituale lumen est: velut e contra malum, spirituales tenebræ. ‡ Lux ergo a creatore conditus, bonusque factus (*vidit* enim *Deus* cum-

† *Greg. Niss. or. Catech. c.* 6. * *Dionys. cap.* 4. *de div. nom.* ‡ *Gen.* 1. *v.* 31.

cuncta quæ fecerat, & erant valde bona) libera voluntate tenebræ factus est. Una porro cum ipso avulsa est, seque ruinæ ejus comitem adjunxit, † in numerabilis subjectorum ipsi Angelorum multitudo. Cum itaque ejusdem ac reliqui Angeli naturæ essent, electione propria mali facti sunt, suapte sponte a bono ad malum inflexi.

Quocirca nullam adversus quenquam potestatem habent, nisi quæ ipsis a Deo certis de causis concedatur; quemadmodum accidit in Job. § & porcis illis de quibus in Evangelio fit mentio. ¶ Potestate autem sibi a Deo facta, viribus valent, immutanturque, & transformando se quamlibet voluerint speciem objiciunt.

Ac quidem futura, nec Angeli Dei noverunt, nec dæmones; tamen prædicunt: Angeli nempe, Deo ipsis detegente ac prænuntiare mandante. Quo fit ut quæ ab ipsis prædicuntur, omnia eveniant. Quin & dæmones quoque prædicunt; interdum scilicet, quia ea quæ procul geruntur, cernunt

† *Quæst. ad Antioch. q.* 10. § *Job.* 1. *v.* 12. ¶ *Mar.* 5. *v.* 13.

nunt; interdum sola conjectatione, unde & sæpe mentiuntur, nec fides illis est adhibenda, etiamsi, eo quo diximus modo, sæpe vera dicant. Quin scripturas quoque intelligunt.

Nulla porro malitia, nullus impurus affectus est, qui ab ipsis excogitatus non sit. Quamvis autem hominem suggestionibus pulsare ipsis permissum sit; * nemini tamen vim inferre possunt (in nobis enim situm est suggestionem, † aut admittere, aut non admittere) ob idque Diabolo & Angelis ejus inextinguibilis ignis paratus est, ac supplicium æternum; illisque item qui ipsum ducem sequuntur.

Sciendum autem illud hominibus mortem præstare, quod lapsus Angelis. § Post lapsum enim nulla ipsis penitentia est, uti nec hominibus post mortem.

* *Jambl. de Myst. Sect.* IV. *c.* XI. † *Matt.* 25. *c.* 41. § *Nemes. de nat. hom. c.* 1.

De Visibili creatura. CAP. V.

IPse Deus noster, qui trinus unusque celebra-

lebratur, * *cœlum fecit & terram & omnia quæ in eis sunt*: cuncta nimirum ex nihilo producens; partim quidem ex non subjecta materia, ut cœlum, terram, aerem, ignem, aquam; partim ex hisce ab eo creatis elementis, velut animantia, stirpes, semina. Hæc enim ex terra, & aqua, aere, & igne creatoris jussu condita sunt.

* *Psal.* 145. *v.* 6.

De cœlo. CAP. VI.

CŒlum est visibilium invisibiliumque rerum ambitus. Illius enim amplexu, tum intellectuales virtutes, tum omnia sensibilia clauduntur & circumscribuntur. Solum autem supremum numen circumscriptionis expers est, omnia implens, omnia complectens, omnia circumscribens, ut pote omnia exsuperans, omniumque auctor exsistens.

Quoniam igitur cœlum scriptura dicit, " & cœlum cœli, & cœlos cœlorum; sequ-

que

* *Psal.* 113. *v.* 16. " *Psal.* 148. *v.* 4.

que Paulus ait § esse raptum usque ad ter-
tium cœlum ; dicimus, nos in universi
creatione cœlum illud fuisse conditum ac-
cepisse, quod ex terni Philosophi, Moysis
sibi placita vendicantes, orbem non stella-
tum vocant. * Præterea firmamentum
Deus cœlum appellavit, quod in medio a-
quarum fieri jussit ; atque ita collocavit, ut
aquas quæ sunt supra firmamentum, ab
iis quæ sunt sub firmamento, divideret. " Hu-
jus porro naturam divinus Basilius, ¶ instar
fumi tenuem ac subtilem esse ait, ex scri-
ptura divina edoctus. Alii autem aqueum,
ut quod in medio aquarum positá sit : alii
ex quatuor elementis conflatum docent :
¶ alii denique quintum quoddam corpus,
diversum ab his quatuor.

Porro quidam cœlum mundum univer-
sum cingere, rotundæque figuræ esse, ac
supremam undique mundi partem obtinere
censuerunt : centrum autem totius illius
quod complectitur spatii, infimam mundi
par-

§ 2. *Cor.* 12. *v.* 2. * *Gen.* 1. *v.* 8.
¶ *Hom.* 1. *in Hexaemeron.* " *Isai.* 40.
v. 22. ♄ *Basil. hom.* 1. *in Hexaem.*

partem esse; ac levia quidem motuique facilia corpora sublimem a creatore sedem accepisse; gravia autem ac deorsum vergentia, inferiorem regionem, quæ media est. Ignis porro levissimum est elementum, quem proinde post cœlum locatum esse ajunt, ætheremque appellant: post hunc, in inferiori loco, aerem. Terram autem & aquam, ut graviora & depressiora corpora: in meditullio pendere; ita ut e contra, deorsum terra sit & aqua (aqua porro terram levitate superat, ob idque facilius quam illa movetur) sursum autem in orbem, velut integumentum quoddam, aer, ac undecumque circa aerem, æther, tumque extra hæc omnia, cœlum expansum in orbem.

Orbico autem motu cœlum volvi docent, & ea quæ intra sunt amplecti, ut firma, nec decidua maneant.

Ad hæc septem cœli orbes esse dicunt, quorum alius alio sublimior sit. § Quin etiam subtilissimæ cujusdam substantiæ, fumi instar, illos esse astruunt; singulosque in

§ *Basil. hom.* 3. *in Hexaem.*

in singulis orbibus planetas sedem habere. Septem siquidem planetas esse dixerunt, Solem, Lunam, Jovem, Mercurium, Martem, Venerem, Saturnum. Venerem autem illum, modo Luciferum, modo Vesperum vocant. Eos vero planetas ob eam causam appellant, quod contra ac cœlum moveantur. Nam, cum cœlum & stellæ reliquæ ab ortu ad occasum motum habeant, hi soli ab occasu ad ortum feruntur. Id quod eo facile dignoscitur, quia Luna singulo quoque vespere aliquantum retrograditur.

Omnes itaque qui rotundum cœlum esse censuerunt, æquo intervallo ipsum, tam a superioribus, quam ab obliquis & inferioribus partibus terra abesse ac distare adstruunt. Ab inferioribus autem obliquisque partibus dico, quantum ad sensus nostri judicium attinet. Nam alioqui, ut ex dictis sequitur, cœlum undique superiorem locum, terra inferiorem obtinet. Ajunt insuper cœlum orbiculatim terram cingere, secumque rapidissimo motu Solem, ac Lunam, & stellas circumferre;

cum-

cumque Sol ſupra terram eſt, illic diem eſſe, cum vero ſub terra, noctem. Rurſuſque, cum ſubtus terram Sol ſubierit, hic noctem, illic Diem eſſe.

Alii dimidia tantum parte ſphæricæ figuræ cœlum eſſe ſibi finxerunt, his ei inſoqui Davidis verbis in eam opinionem adducti, † *Extendens cœlum ſicut pellem*; "quo quidem vocabulo tentorium ſignificatur: beati item Eſaiæ: *Qui ſtatuit cœlum velut fornicem*. Tum etiam quia, cum Sol & Luna & ſtellæ occidunt, * terram ab occaſu aquilonem verſus in orbem peragrant, atque ita rurſus ad ortum veniunt. Cæterum quoquo modo hæc ſe habeant, omnia certe divino juſſu facta & ſtabilita ſunt, divinamque voluntatem & conſilium pro firmiſſimo fundamento habent. § *Nam ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandavit & creata ſunt, Statuit ea in æternum & in ſeculum ſeculi, præceptum poſuit, & non præteribit.*

¶ Itaque cœlum cœli, primum

† *Pſal.* 103. *v.* 3. " *Iſai.* 40. *v.* 22. * *Chriſoſt. hom.* 14. *& 17. ad hebr.* § *Pſal.* 148. *v.* 5. ¶ *Greg. Nyſſ. de Opif. hom.*

illud cœlum est firmamento superius. Ita duos jam cœlos habes: nam firmamentum quoque cœli nomine Deus appellavit. ¶ Deinde familiare est scripturæ aerem etiam cœlum nuncupare; quod videlicet sursum cernatur. Ait enim, " *Benedicite omnes volucres cœli;* hoc est aeris. Aer quippe avium regio est, non cœlum. En cœlos tres, quos divinus dixit Apostolus. § Quod si septem illos orbes septem esse cœlos interpretari libeat, nihil hoc veram doctrinam labefactabit. Quin ex usu quoque est Hebraicæ linguæ, cœlum plurali numero cælos vocare. Ac proinde cœlum cœli dicere volens, * *cœlos cœlorum* dixit; quo *cœlum cœli* significatur, quod firmamento superius est, aquæ item quæ super cœlos sunt, sive aerem & firmamentum; vel septem firmamenti orbes, vel denique ipsum firmamentum, quod de more Hebraicæ linguæ cœlorum nomine plurali voce nuncupatur, intelligit.

Jam vero, cum omnia quæ ortum habuc-

¶ *Gen.* 1. *v.* 8. " *Dan.* 3. *v.* 89.
§ 2. *Cor.* 12. *v.* 2. * *Psal.* 148. *v.* 14.

huerunt, juxta naturæ ſeriem corruptioni obnoxia ſint, † tum ipſi quoque cœli, § tametſi divino munere & gratia contineantur & conſerventur. * Solus autem Deus ſuapte natura principio & fine caret: quamobrem etiam dictum eſt: *Ipſi peribunt, tu autem permanebis*. ¶ Quamquam non prorſus interibunt cœli. *Veteraſcent enim, & ſicut opertorium convolventur, & mutabuntur: eritque cœlum novum, & terra nova*.

Cœterum multis partibus cœlum terra majus eſt. Nec vero cœli eſſentia inveſtiganda eſt, quippe quam cognitione aſſequi nequeamus.

Nullus porro cœlos, aut luminaria animata eſſe arbitretur: " anima quippe & ſenſu carent. Quare cum ait ſcriptnra, ‖ *Lætentur cœli, & exultet terra;* his verbis Angelos qui in cœlo, & homines qui in terra ſunt, ad lætitiam invitat. Quin Proſopopœjæ figura uti, & de inanimis perinde

† *Baſil. hom.* 1. & 3. *in Hex.* § *Juſt. quæſt.* 93. * *Pſal.* 101 *v.* 27. ¶ *Apoc.* 21. *v.* 1. " *Baſil. hom.* 3. *in Hexæm.* ‖ *Pſal.* 95. *v.* 111.

rinde ac de animatis loqui solet scriptura: quo in genere illud est: † *Mare vidit, & fugit: Jordanis conversus est retrorsum.* Et, *Quid est tibi mare quod fugisti, & tu Jordanis, quia conversus es retrorsum?* Rursusque montes & colles rogantur, quæ subsultationis causa sit: non secus ac nos dicere solemus, coacta est omnis civitas; non ut ædes, sed ut cives significemus. Huc etiam attinet illud, § *Cæli enarrant gloriam Dei*; ¶ non quod ejusmodi vocem mittant, quæ corporeis auribus percipiatur: sed quod amplitudine sua opificis potentiam declarent, quorum inspecta pulchritudine, conditorem, tanquam optimum artificem laudibus celebramus.

† *Psal.* 117. *v.* 3. § *Basil. hom.* 1. *&* 3. *in Hex.*

De Luce, igne, luminaribus, Sole, Luna, & stellis. CAP. VII.

IGnis unum est ex quatuor elementis, leve, & ceteris altius tendens, urendi simul & illuminandi vim habens, die primo

mo a creatore conditum. Ait enim divina scriptura: † *& dixit Deus fiat lux & facta est lux.* Neque enim, ut quidam existimant, aliud quidquam est ignis, quam lux. Alii autem elementarem hunc ignem aere superiorem esse ajunt, quem vocant Æthera. *In principio* igitur, hoc est die primo, creavit Deus lucem, quæ visibilium omnium creaturarum decus & ornamentum est. Etenim si lucem sustuleris, omnia in tenebris jacebunt ignota, ut quæ pulchritudinem suam conspicuam reddere non possint. *Vocavit autem Deus lucem Diem: tenebras autem vocavit noctem.* § Porro tenebræ substantia ulla non sunt, sed accidens. Neque enim aliud sunt quam lucis absentia. Aer quippe in sua substantia lucem non habet. Quare ipsum hoc quod aer luce careat, Deus vocavit tenebras. Quin ne ipsa quidem aeris substantia tenebræ sunt, sed lucis privatio: quod accidens potius quam substantiam indicat. Nec vero nox prius vocata est, sed dies: ac proinde

† *Gen.* 1. *v.* 3. § *Basil. hom.* 2. *in Hexaem.*

inde antiquior dies est, nox posterior. Diem ergo nox sequitur; atque ab unius diei ortu usque ad alium diem, dies unus est cum nocte conjunctus. Ait enim scriptura: † *& factum est vespere, & factum est mane dies unus.*

Et quidem tribus primis diebus, luce Dei jussu, tum sese diffundente ¶ tum rursus contrahente, dies & nox exstitere. At die quarta fecit Deus luminare majus, nempe Solem, ut diei præesset (per ipsum enim dies efficitur; dies quippe est cum Sol supra terram exstat, dieique spatium, cursus ille quem ab ortu ad occasum usque Sol supra terram peragit) atque item luminare minus, hoc est Lunam, & stellas, ut nocti præessent, eique lucem ferrent. Nox porro est cum Sol infra terram est, noctisque spatium est cursus ille, quem Sol ab occasu ad ortum sub terra conficit. Luna igitur, & stellæ constitutæ sunt, ut noctem illustrarent; non quod iterdiu sub terra penitus delitescant (nam tunc quoque stellæ in cœlo super terram sunt) sed quia Sol eas,

Lu-

† *Gen.* 1. *v.* 5. ¶ *Basil. hom.* 2. *in Hex.*

Lunamque, splendoris sui nimia amplitudine operiens, elucere non sinit.

Huisce luminaribus primigeniam lucem summus ille rerum opifex indidit, † non quod alterius luminis penuria laboraret; sed ne lux illa supervacanea maneret. Luminare siquidem lux ipsa non est, sed lucis conceptaculum.

Inter hæc autem luminaria planetas septem recensent, quos contrario ac cœlum motu volvi dicunt; quocirca Planetas, Errantesve stellas, eos appellarunt. Cœlum enim ab ortu ad occasum volvi inquiunt; planetas autem ab occasu ad ortum: quos etiam cœlum rapidiori suo motu secum circumferat. Septem porro planetarum hæc sunt nomina: Luna. Mercurius, Venus, Sol, Mars, Jupiter, Saturnus. Tradunt insuper, in unoquoque cœli circulo unum ex septem planetis esse.

In primo nempe, id est sublimiori, Saturnum.
In secundo, Jovem.
In tertio, Martem.

† § *Basil. hom. 6. in Hexaem.*

In quarto, Solem.
In quinto, Venerem.
In sexto, Mercurium.
In septimo denique & infimo, Lunam.

Cursum autem cum sine intermissione tenent, quem eis conditor indixit, & sicut ea fundavit; juxta illud divini Davidis, † *Lunam & stellas quæ tu fundasti*. Nam verbo, *fundasti*, ordinis tenorisque ipsis a Deo concessi firmitatem & constantiam significavit; cum ea statuerit in tempora, & signa, & annos. Per solem enim quatuor tempestates, conversionesve constituuntur: ¶ quarum prima verna est; qua nimirum Deus condidit universa: idque declarant etiamnum flores vere pullulantes. Hæc autem conversio, æquinoctalis dicitur: quippe cum diem duodecim horarum, totidemque noctem efficiant. Porro illa ex medio solis ortu constituitur, optimaque temperie est, sanguinem augens, calidaque & humida, atque inter hyemem & æstatem; hiemem calore & siccitate, æstatem frigedine & humiditate superansque. Hæc pars a vi-

cessi-

† *Psal.* 8. *v.* 4. ¶ *Basil. hom.* 6. *in Hex.*

cesimo primo Martii ad vicesimum quartum Junii exporrigitur. Deinde vero Solis ortu ad septentrionales partes altius assurgente, Solstitium æstivum succedit, quod inter ver & autumnum locum medium tenet a vere calorem, ab autumno siccitatem habens. Calida namque, & sicca est æstas, & flavæ bilis incrementum facit. Hujus porro maximus dies quindecim horas complectitur: nox quam brevissima novem horarum spatio definitur. Atque hæc quoque a quarto & vicesimo Junii die, ad quintum & vicesimum Septembris pertinet. Postea Sole rursus ad medium ortum regrediente, autumnalis conversio æstivum excipit, media quodammodo inter frigus & calorem, siccitatemque & humorem, atque inter æstivam & hybernam tempestates interjecta; ab æstiva videlicet siccitatem, ab hyberna frigedinem habens. Frigida enim & sicca est, atramque bilem augere solet. Atque hæc rursus æquinoctialis conversio dicitur, ut quæ duodecim horarum, tum Diem, tum noctem habeat. Protenditur autem ea a vicesimo quinto Se-

ptembris ad vicesimum quintum Decembris. Tum Sole ad inferiorem demissioremque, hoc est meridionalem ortum, labente, hyemale Solstitium ac tempestas subit; quæ frigida & humida est, media inter autumnalem & vernam qualitate ab illa nimirum frigiditatem, ab hac humiditatem habens. Hæc porro breviſſimum diem, novem horarum, longiſſimam noctem, quindecim habet, ac pituitam auget: atque a Decembris quinto & vicesimo die ad primum & vicesimum usque Martii se porrigit. Sapienter enim a rerum conditore provisum est: ne alioqui a summo frigore, aut calore, aut humiditate, aut siccitate, ad extreme contrariam qualitatem transeuntes, in graves morbos incidamus. Periculosas enim esse repentinas mutationes ratione ipsa docemur.

Ad hunc itaque modum Sol quatuor conversiones, perque eas annum efficit; dies item & noctes constituit: dies, inquam, cum exoritur, & supra terram existit; noctes, cum terræ subit & occidit, sideribusque aliis, Lunæ nimirum, & stel-

lis

lis ut illuceant, concedit.

Ajunt etiam duodecim in cœlo ſigna ex aſtris eſſe, animalium nominibus nuncupata, quæ contra, ac Sol, & Luna ceterique errantes moveantur; per eaque ſigna ſeptem planetas tranſire. Atqui Sol quidem in unoqnoque ſigno menſem unum perficit, duodecim ſigna totidem menſibus peragrat. Horum porro ſignorum nomina hæc ſunt, hique eorum menſes.

Aries, menſe Martio, die 21. Solem excipit.
Taurus, menſe Aprili, die 23.
Gemini, menſe Majo, die 24.
Cancer, menſe Junio, die 24.
Leo, menſe Julio, die 25.
Virgo, menſe Auguſto, die 25.
Libra, menſe Septembri, die 25.
Scorpius, menſe Octobri, die 25.
Sagittarius, menſe Novembri, die 25.
Capricornus, menſe Decembri, die 25.
Aquarius, menſe Januario, die 25.
Piſces, menſe Februario, die 24.

At vero Luna, ut quæ inferiore loco ſit, ce-

celeriusque Zodiacum orbem peragret, in singulos menses tota duodecim signa Percurrit. Quemadmodum enim, si intra orbem, alium quendam orbem facias, interior orbis illo minor invenietur: eodem modo cum luna inferiorem sedem nacta sit, brevius quoque ipsius curriculum sit, eiciusque conficiatur necessum est.

Jam vero Gentiles, per horum siderum, Solis nimirum & Lunæ, ortum & occasum, § concursumque, res omnes gubernari asserunt (in his enim Astrologia versatur) nos contra imbrem quidem ac sereniratem, frigus item & calorem, humorem & siccitatem, ventos denique, atque alia ejusmodi per ea significari non imus inficias: quod vero actionibus nostris omen ullum importent, id pernegamus. Nam cum liberi arbitrii a conditore præditi simus, ¶ hinc efficitur ut actiones nostræ juris nostri sint. Alioqui, si ex siderum motu cuncta facimus, sequitur ut ea quæ facimus, necessitate faciamus. Id porro quod necessitate fit

§ *Basil. hom. 6. in Hexaem.* ¶ *Nemes. de nat. hom. c. 36. 36.*

fit, neque virtus, neque vitium est. Quod si nec virtutem, nec vitium habemus, profecto nec laudibus, nec supplicio digni sumus: atque ita iniquus Deus reperietur, dum aliis res secundas, aliis calamitosas tribuit. Imo vero nec gubernabit Deus res conditas, nec eis providebit, si quidem omnia necessitate agantur ac ferantur; supervacaneaque in nobis erit pars rationalis. Nam si nulla actio e nostro arbitrio pendet, frustra consultamus: vis quippe rationis utique consultandi causa nobis concessa est: unde etiam quidquid ratione utitur, arbitrii quoque libertate præditum est.

Quamobrem hoc dicimus, sidera, nec eorum quæ contingunt, nec ortus eorum quæ nascuntur, nec eorum quæ pereunt, interitus causas esse: verum signa potius pluviarum, aerisque mutationis. Quanquam nec defuturus fortasse est, * qui bellorum ea quoque signa esse dicat, tametsi non causas. Quin aer quoque a Sole, & Luna, & astris alia subinde atque alia qualita-

* *Basil. hom. 6. in Hexaem.*

litate affectus, diversa temperamenta, habituſque, & affectiones gignit. Habitus porro inter ea quæ in noſtra poteſtate conſiſtunt, referuntur. Ii quippe ſub rationis imperio ſunt, ab eaque gubernantur, & immutantur.

Plerumque inſuper ex ſurgunt cometæ, Regum mortem portendentes: qui tamen non ex illis ſideribus ſunt, quæ in primo rerum ortu procreata fuere: verum Dei juſſu ſub ipſum tempus conflantur, ruſuſque diſſolvuntur. § Quandoquidem ne ſidus quidem illud, quod tum, cum Dominus noſtri cauſa pro ſua erga homines clementia, ipſorumque ſalute in carne natus eſt Magis apparuit, non ex illis ſtellis erat, quæ mundi initio conditæ fuerunt. Quod quidem perſpicuum eſt, eo quod illa, nunc ab ortu ad occaſum, nunc a Septentrione ad Auſtrum progrediebatur; nunc deliteſcebat, nunc ſe rurſus prodebat: quod quidem a ſiderum ordine & natura diſſentaneum eſt.

Sciendum autem eſt Luuam a Sole lumen

§ *Baſil. in Chri. nativ.*

men ſuum mutuari: non quod Deus in ea inopia verſarerur, ut proprium ipſi lumen dare non poſſet: verum ut concinnitas & ordo rebus conditis imponeretur, aliis videlicet imperantibus, obſequentibus aliis; hinque nos mutuo communicare diſceremus, ac ſubeſſe; primum quidem Deo rerum opifici & Domino, deinde principibus ab eo conſtitutis: nec ſciſcitari, cur hic præſit, ego non; verum omnia quæ Deo ordinante contingunt, grato & æquo animo accipere.

Quod autem Sol & Luna defectum quandoque patiuntur, hinc eorum, * qui res creatas, neglecto creatore, adorant, amentiam arguunt, ſeque mutationi ac variationi obnoxia eſſe docent id porro in quod mutatio cadit, Deus eſſe non poteſt. Quidquid enim mutabile eſt, natura ſua interitui obnoxium eſt.

Tum autem Solis defectus accidit, cum Lunæ corpus parietis inſtar cujuſdam interpoſiti, umbram facit, nec lucem diffundi ſinit. Ac proinde quanta Lunaris corporis

* *Eccli.* 17. *v.* 30.

ris, quo Sol obducitur, inventa magnitudo fuerit, tantum quoque deliquium efficitur. Lunæ autem corpus inferioris magnitudinis esse, minime mirum tibi videatur: nam & Solem nonnulli multis partibus terra majorem esse contendunt: sancti Patres vero, terræ æqualem. Et tamen sæpe numero accidit, ut nubecula, vel colle exiguo, aut pariete occultetur.

At vero Lunæ defectus ex umbra quam terra offundit, efficitur, cum decimamquintam diem attigit cumque ex adverso, in summo utique centro, Sol quidem infra terram, Luna autem supra terram invenitur. Tunc enim terra umbram obducit, nec Solis lumen afferre Lunæ splendorem potest; unde fit ut illa deficiat.

Illud advertendum, Lunam a summno rerum auctore plenam fuisse conditam * sive qualis est decimaquinta die. Decebat enim ut perfecta crearetur. Quarta autem die, ut diximus, Sol conditus est; atque ita Luna undecim diebus Solem præcessit. A quarta enim die ad usque decimam quintam

* *Sever. Gabal. orat. 3. de opific. mundi.*

tam, dies undecim interſunt. Quo etiam fit, ut in ſingulos annos, duodecim Lunæ menſes undecim diebus minores ſint, quam duodecim Solis menſes. Solis quippe menſes dies trecentos ſexaginta quinque cum unius quadrante continent, ob idque quarto quoque anno, compoſito hoc quadrante, dies unus conficitur, qui biſſextilis nuncupatur; ſicque annus ille trecentos ſexaginta ſex dies habet; contra Lunares anni trecentorum quinquaginta quatuor dierum ſpatio finiuntur. Ex quo enim nata, ſeu innovata Luna eſt, augeſcit ad deciniam quartam uſque diem cum unius ſemiſſe & quadrante. Hinc minui incipit uſque ad nonam & viceſimam diem cum unius ſemiſſe, quo ſplendoris omnis expers vadit. Ac tum rurſus cum Sole copulata renaſcitur & renovatur; atque in hoc, monimentum fert reſurrectionis noſtræ. † Quocirca ſingulis annis undecim dies Soli reddit: unde poſt tres annos intercalaris menſis ab Hebræis invehitur; qui ob hanc dierum undecim additionem tredecim menſibus conſtat.

† *Sever. Gabal. lib. 3. de opif. mund.*

Perspicuum autem est, Solem, & Lunam, omniaque sidera composita esse, & mutationi obnoxia: quæ tamen eorum natura sit, prorsus ignoramus. Ac nonnulli ignem ab omni materia, sive pabulo, § fermotum penitus desinere asserunt, idque manifestum esse, eo quod exstinctus evanescat. Sunt rursus alii, qui exstinctum illum in aerem verti dicunt.

Zodiacus orbis obliquo motu volvitur, inque partes duodecim secatur, quæ signa dicuntur; quodlibet vero signum tres decanos habet, gradus triginta, quilibet autem gradus minutis sexaginta constat. Ita cœlum trecentos sexaginta gradus habet: hemisphærium quod super terram est, centum & octoginta gradus continet, totidemque illud, quod subtus terram.

Domus Planetarum.

Aries & Scorpius, Martis: Taurus & Libra, Veneris: Gemini & Virgo, Mercurii: Cancer, Lunæ: Leo, Solis: Sagittarius & Pisces, Jovis: Capricornus & Aquarius, Saturni.

Alii

§ *Nemes. c.* 5.

Altitudines.

† Aries, Solis, Taurus, Lunæ, Cancer, Jovis; Virgo, Martis; Libra, Saturni; Capricornus, Mercurii, Piſces veneris.

Figurationes Lunæ.

In conjunctione Luna eſſe dicitur, cum eodem quo Sol eſt gradu: naſcens, cum quindecim a Sole gradibus diſtat: oriens, dum corniculata apparet; quod quidem bis contigit, ac tum ſexaginta gradibus a Sole diſtat: ſemiplena bis conſpicitur, cum nonaginta gradibus receſſit: bis etiam gibboſa, cum centum & viginti gradibus: lucem vero plenam habens, cum gradibus centum & quinquaginta: plena omnino ac perfecta, cum centum & octoginta gradibus a Sole remota eſt. Bis idcirco dicimus, quia creſcente, ac rurſus decreſcente id accidit. Porro duobus diebus cum dimidio unum quodque ſignuum Luna emetitur.

† *Vid. Porph. de antro Nymph.*

De Aere & Ventis. CAP. VIII.

Aer

AEr subtilissimum elementum est, humidum que & calidum; igne quidem gravius, terra tamen & aquis levius, respirationis & vocis causa, coloris expers, hoc est, nullo a natura colore imbutum; nitidum ac pellucidum (lumen enim excipere potest) tribus sensibus nostris inserviens: (ipsius enim beneficio cernimus, audimus, odoramur) caloris item & frigoris, siccitatis & humiditatis capax. Hujus locales motus hi sunt, sursum, deorsum, introrsum, etrorsum dextrorsum, sinistrorsum, ac postremo motus orbicus.

Ex se autem lumen non habet, verum a Sole, Luna, sideribus, & igne collustratur. Atque hoc est quod ait Scriptura: † *& tenebræ erant super faciem abyssi*. Ubi indicare vult aerem minimè a se lumen habere, sed diversam esse luminis substantiam.

At ventus est agitatio aeris. ‡ Vel, ventus est aeris fluxus, pro varia locorum ex quibus manat ratione, alia atque alia subinde nomina accipiens.

Quin

† *Gen.* 1. *v.* 3. ‡ *Sever. Gabal. hom.* 1. *in Hexaem.*

Quin locus quoque aeris eſt. Illud enim cujuſvis corporis locus eſt, quo unumquodque includitur. Quid autem allud corpora continet & ambit, niſi aer? Variæ porro multipliceſque regiones ſunt, unde aer agitatur; ex qnibus etiam duodecim venti (totidem enim omnes ſunt) nomen trahunt. Sunt qui aerem nihil aliud eſſe contendat, niſi ignem extinctum, aut calefactæ aquæ vaporem. † Quamobrem natura quidem ſua calidus eſt; verum ex aquæ & terræ vicinitate frigus contrahit. Ex quo fit, ut inferiores ipſius partes frigidæ ſint, ſuperiores, calidæ.

Quod autem ad ventos attinet; ab æſtivo ortu flant Cæcias, qui & Meſes. Ab ortu æquinoctiali, Subſolanus: ab ortu hyberno, Eurus. Ab hiberno occaſu, Aphricus: ab æquinoctiali occaſu, Favonius: ab æſtivo occaſu, Corus, qui & Olimpias, & Iapyx dicitur. Tum Auſter & Aquilo, qui oppoſitis inter ſeſe flatibus ſpirant. Eſt autem inter Aquilonem & Cæciam interjectus Boreas; inter Eurum & Auſtrum,

† *Nemeſ. de nat. hom. c.* 5.

Phœnix, qui etiam Libonotus appellatur: inter Austrum rursus & Aphricum, Libonotus, qui & Leuconotus: demum inter Aquilonem & Corum, Trascias, seu Cercius, ab his qui versus regionem hanc incolunt, ita nuncupatus.

Gentes autem quæ in orbis finibus sedes habent, hæ sunt. Ad Subsolanum, Bactriani: ad Eurum, Indi: ad Phœnicem, Mare Rubrum, & Æthiopia; ad Libonotum, Garamantes, qui supra Syrtim sunt: ad Aphricum, Æthiopes, & Occidentales Mauri: ad Favonium, Herculis columnæ, & Libyæ ac Europæ initia: ad Corum, Iberia, quæ hodie Hispania vocatur: ad Thraſciam, Galli ac finitimæ nationes: ad Aquilonem, Scythæ, qui supra Thraſciam sunt: ad Boream, Pontus, Mœotis, & Sarmatæ: ad Cæciam, Mare Caspium, & Sacæ.)

De Aquis. CAP. IX.

AQua etiam unum est, ex quatuor elementis excellentissimum Dei opus. Est

* Est autem aqua elementum humidum, & frigidum; grave, ac deorsum vergens, quod facile diffluit. Hujus meminit scriptura divina, cum ait: *Et tenebræ erant super faciem abyssi: & spiritus Domini ferebatur super aquas*. Abyssus quippe nihil aliud est quam ingens quædam aquæ copia, cujus finis adiri nequit. Et quidem in mundi primordiis, aqua super universam superficiem terræ eminebat. Ac primo fecit Deus firmamentum quod aquas, quæ sunt supra firmamentum, ab iis quæ sub firmamento sunt, medias divideret. Etenim in abyssi aquarum medio Dei jussu firmamentum statutum est. Unde etiam dicente Deo, ut fieret firmamentum, hoc factum est. Verum quid tandem causæ fuit, § cur Deus aquam supra firmamentum collocarit? † Plane vehementissimus Solis & ætheris ardor. Proxime enim sub firmamento expansus est æther: Sol quoque, & Luna, & stellæ in firmamento posita sunt. Quare nisi aqua superne collocata esset, præ

* *Gen.* 1. *v.* 2. § *Basil. hom.* 2. *in Hex.*
† *Sever. Gabal. orat.* 2. *de opif. mund.*

calore utique firmamentum exarsisset.

¶ Tum jussit Deus ut cogerentur aquæ in congeriem unam. Quod autem congeriem unam dicit Scriptura, non hoc significat, in unum eundemque locum eas confluxisse; statim enim subdit, § *& collectiones aquarum appellavit Maria*: sed potius aquas simul eodem momento a terra secretas fuisse, oratio ostendit. Aquæ ergo in suas congeries coactæ sunt, & apparuit arida. Atque hinc duo illa maria facta sunt, quibus Ægyptus utrinque alluitur (media enim hæc inter duo maria sita est) quibus multa, & diversa æquora constituuntur, montesque, & insulæ, & promontoria, & portus, variique sinus, & littora, & ripæ continentur. Littus enim dicitur quod arenosum est: ripa quod saxosum, ac jam inde a continente profundum est. Consimilem in modum ad ortum situm est illud mare quod Indicum dicitur, nec non Boreale, quod Caspium appellatur. Quin paludes quoque hinc collectæ sunt.

Est

¶ *Gen.* 1. *v.* 9. § *Ibid. v.* 10.

Est autem Oceanus velut amnis quidam terram universam cingens (de quo mihi Scriptura divina loquuta videtur, cum ait: § *Fluvius egrediebatur e Paradiso*) dulcem & potabilem aquam habens. Hic cuique mari aquam subministrat, quæ quidem diuturniorem in eis moram trahens, immotaque consistens, amara efficitur; sole nimirum, ac siphonibus id quod in ea subtilissimum est semper elicientibus: unde etiam conflantur nubes, & imbres formantur, dulcescete per excolationem aqua.

Hic insuper in quatuor principia, sive quatuor flumina dividitur, quorum uni nomen est Phison (hic est Ganges Indiæ fluvius) alteri Geon (Nilus hic est, qui ab Æthiopia in Ægyptum dilabitur) tertio, Tigris: quarto, Euphrates. Sunt autem & quamplurimi alii fluvii, qui partim in mare sese effundunt, partim in terra absumuntur. Quo fit, ut terra undique pertusa & cuniculosa sit, ac velut venas quasdam habeat, per quas, exceptis a mari aquis, fontes emittit. Ita fit, ut pro terræ qualitate fon-

§ *Gen.* 2. *v.* 10.

tium aqua, alia atque alia exsistat. Per terram enim aqua marina transcolatur & desæcatur, † sicque dulcis evadit. Quod si locus unde fons emanat, amarus aut salsus exstiterit, talis utique & aqua prorumpet. Plerumque autem accidit, ut aqua angustis quibusdam locis intercluſa atque compressa, vi erumpens incalescat; hincque suapte sponte calentes aquæ emergunt.

Divino itaque jussu excavata terra, in congeries aquæ collectæ sunt; * hincque montes extiterunt. Primigeniæ itaque aquæ præcepit Deus animam viventem educere: quandoquidem futurum erat ut per aquam & Spiritum sanctum, qui in principio ferebatur super aquas, ¶ hominem instauraret. Hanc enim causam affert Basilius. Eduxit igitur tam parva, quam ingentia animantia; " cete & dracones; pisces per undas labentes, avesque pennatas. Per aves porro, ♄ cum aqua, tum terra, aerque velutiquodam nexu copulantur. Nam ex aquis

† *Basil. hom. 4. in Hexaem.* * *Gen. 1. v. 2.* ¶ *Basil. hom. 4. in Hexaem.* " *Sever. Gabal. orat. 4. de opif.* ♄ *Basil. hom. 8.*

aquis ortæ illæ ſunt, & in terra verſantur, & volant in aere. Optimum autem elementum eſt aqua & ad multos uſus commodum; eamque vim habet, ut non corporum modo, ſed & animarum, dummodo Spiritus ſancti acceſſerit gratia, ſpurcitiem eluat.

De Maribus, ſive aquoribus.

ÆGæum mare Helleſpontus excipit, ad Abydum & Seſtum deſinens. Deinde Propontis, quæ ad Chaledonem, & Byzantium terminatur; ubi auguſti tranſitus, ſeu fauces ſunt, a quibus Pontus ſumit initium. Mox Mæotis Palus. Rurſus ab Europæ & Libyæ initio, Ibericum mare eſt, ab Herculeis columnis ad Pyrenæum montem excurrens. Poſt Liguſticum, quod uſque ad Hetruriæ fines protenditur. Mox Sardonium, quod ſupra Sardiniam, ad Libyam Africamve deorſum vergit. Tum Hetruſcum, quod ab extremis Liguriæ finibus incipiens ad Siciliam finem habet. Poſtea Lybicum, deinde Creticum, Sicu-

lum

lum, Jonicum, & Adriaticum, quod e Siculo mari effunditur, quem Corinthiacum sinum, sive Alcyonium æquor appellant. Quod autem Sunio & Scyllæo mari continetur, Saronicum dicitur. Ab eo Myrtoum, & Icarium, in quo & Cyclades sunt. Tum Carpathium, & Pamphylium, & Ægyptium. Demum supra Icarium, sese Ægæum proxime effundit, Est autem Europæ trajectus a Tanais fluminis ostiis usque ad Herculis Columnas, * stadiorum 609709. Africæ, a Tinge ad Canobicum ostium, stadiorum 209252. Asiæ denique, a Canobo usque ad Tanaim una cum finibus, stadiorum 41111. Atque ita habitati orbis nostri mare ad stadia 1309072. porrigitur.

§ Vid. Strab. lib. 1.

De Terra, & iis quæ ex ea producuntur.

CAP. X.

TErra unum est ex quatuor elementis, siccum, frigidum, grave, & immotum: primo die ex nihilo productum. *In prin-*

* *principio*, inquit, *creavit Deus cœlum & terram*. Cuinam autem rei insideat, ac quo fundamento nitatur, nullus mortalium dicere potuit. Sunt autem qui eam super aquas collocatam, & stabilitam esse ajunt, † his videlicet verbis Davidis adducti; *Qui firmavit terram super aquas*. Alii super aerem. § Alius autem sic ait, *Qui appendit terram super nihilum*. Et rursus Divinoloquus David ex persona creatoris, ¶ *Ego*, inquit, *confirmavi columnas ejus*: columnarum nomine vim illam significans, quæ eam continet. Nam quod idem alio loco ait, " *super maria fundavit eam*, nihil aliud indicat, nisi qnod aquæ natura terræ undique affusa sit. Proinde sive eam seipsa, sive aere, sive aquis, sive denique nihilo fulciri concedamus, a pia sententia recedere conveniens non est: quin potius confitendum, omnia in universum conditoris virtute contineri & conservari.

♄ Et quidem in principio, quemadmodum

* *Gen* 1. *v.* 1. † *Psal.* 35. *v.* 6.
§ *Job.* 26. *v.* 7. ¶ *Psal.* 74. *v.* 4.
" *Psal.* 23. *v.* 2. ♄ *Gen.* 1. *v.* 2

dum ait scriptura divina, terra aquis obdu-
cebatur, atque indegesta, hoc est, ornatu
omnis expers erat. Quamprimum autem
præcepit Deus, confestim aquarum conce-
ptacula exstiterunt: ac tum montes esse co-
perunt, divinoque jussu terra suum orna-
tum accepit, herbis videlicet omnis gene-
ris & stirpibus decorata; quibus divino im-
perio vis ea insita est, qua augescerent, al-
renturque, & semen ad sui simile genera-
dum producere possent. Quin ad opifici
jussum omnis quoque generis animantia
reptilia, feras, & pecora, jumentaque pro-
tulit: omnia quidem illa ad tempestivum
hominis usum, cæterum alia ad cibum, ut
cervos, pecudes, capreas, & reliqua id
genus; alia ad ministerium, ut camelos,
boves, equos, asinos, cæteraque ejusmo-
di; alia ad oblectationem, ut simias, &
ex avibus, picas & psitacos, & similia:
stirpes item & herbas, partim fructiferas &
esculentas, partim olfactu suaves & floribus
decoras, exhilarandi animi causa concessas,
velut rosam, aliasque similes; partim ad
morborum medelam. Neque enim aut ani-
mal

mal ullum, aut planta ulla est, cui non vis aliqua hominibus utilis, a summo rerum parente indita sit. Nam cum ille, cui omnia ante quam fiant explorata sunt, perspectum haberet fore, ut homo libera voluntate a divino mandato recederet, corruptionique addiceretur, idcirco ad commodum ipsius usum, cuncta quæ tum in cœlo: tum in terra & in aquis sunt, procreavit.

Et quidem ante prævaricationem, nihil erat quod hominis imperio subditum non esset. Princeps quippe constitutus a Deo fuerat, omnium tam quæ in terra, quam quæ in aquis degunt. * Quin serpens quoque homini familiaris erat, § ut præ cæteris animantibus ad eum accederet, blandisque motibus cum illo quasi conversaretur. Hinc factum est, ut mali auctor Diabolus ipsius opera pessimam primigenis parentibus fraudem necteret. Terra insuper fructus, quibus animantia, quæ illi parebant, alerentur, sponte proferebat. Neque tum imber, neque hyems aut tempestas erat. At post trans

* *Basil. hom. de Parad.* § *Gen.* 3. *v.* 1.

transgressionem, quando † *comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est eis*; cum herili violato præcepto, ita se comparasset, ut bruta cupiditas ratione præditæ menti suæ dominaretur, tum subditæ creaturæ ab ipso defecerunt, qui princeps ipsarum creatus a Deo fuerat; atque eo redactus, ut terram de qua sumtus erat, cum sudoribus colere jussus sit.

Quanquam, ne nunc quidem ejusmodi feræ sunt, ut nulla ex eis utilitas capi queat: quippe quæ terrorem homini incutiendo, eum ad Dei conditoris agnitionem, ejusque opem implorandam adducunt. Insuper post spretum mandatum, spina quoque, juxta Domini sententiam e terra prodiens, § amœnitati rosæ conjuncta fuit, quæ refricaret nobis memoriam transgressionis, propter quam terra multata fuit, ut spinas & tribulos nobis proferret.

Quod autem hæc ita se habeant, hinc fides adstruitur quod ea perseverare præstet Domini sermo, quem pronuntiavit, ¶ *Crescite*

† *Psal.* 48. *v.* 14. § *Basil. hom. de Parad.*
¶ *Gen.* 1. *v.* 22. *&* 28.

multiplicamini, & replete terram.

Nonnullis porro terram esse rotundam placet: aliis cono similem. Multum certe cælo minor est, in ipsius centro instar puncti appensa. Cæterum ipsa quoque præteribit, & immutabitur. Beatus autem ille est; † qui possidebit terram, quæ mitibus promittitur. * Quæ enim terra sanctos suscepturа est, nunquam interibit. ¶ Quis ergo infinitam & incomprehensam creatoris sapientiam digne miretur? Quis bonorum auctori pares ipsius beneficiis grates rependere queat?

(Sunt porro quas novimus, terrarum orbis provinciæ, sive præfecturæ, Europæ quidem triginta & quatuor; Asiæ continentis amplissimæ, provinciæ 48. Canones, quos vocant, duodecim).

† *Math.* 5. *v.* 4. * *Method. cont.* ¶ *Orig apud Epiph. hær.* 64.

De Paradiso. CAP. XI.

QUoniam autem Deus ex visibili & invisibili natura hominem ad imagi-

nem † ac similitudinem suam velut regem aliquem, totiusque terræ principem, & earum rerum quæ in illa sunt, formaturus erat. Regiam ei quandam prius exstruit, in qua suam sedem collocando, beata & omni felicitate affluenti vita frueretur. Atque hic ille est divinus Paradisus, qui Dei manibus in Eden consitus est, § voluptatis omnis ac jucunditatis promtuarium (Eden enim, si interpreteris, delicias sonat) In Oriente omni terra sublimior positus fuit, probeque temperatus, ac subtilissimo purissimoque aere undique collustratus, plantis unquam non floridis vernans, suavissimo odore & lumine plenus, elegantiæ omnis, quæ quidem in sensum cadat, & pulchritudinis cogitatum superans; divina plane regio, dignumque eo, qui ad Dei imaginem conditus erat, domicilium: in quo nullum rationis expers animal versabatur; * sed solus homo, opus manuum Dei.

In medio porro hujus, tum vitæ, tum scientiæ arbores Deus plantaverat: scien-

tiæ

† *Greg. Nyss. de opif. hom. c. 2. § Basil. hom. de Parad.* * *Gen. 2. v. 9.*

tiæ quidem, ut eo obedientiæ & inobedientiæ hominis periculum fieret, & utraque explorari & exerceri posset. Unde etiam arbor scientiæ boni & mali nuncupata est; vel quia iis qui ex illa edebant, hanc vim afferebat, † ut naturam suam perspectam haberent. ¶ Quod quidem; ut adultis & perfectis bonum erat; ita minus perfectis, avidiorique, quam par esset, appetitu præditis, grave incommodum accersebat; haud secus ac solidus cibus iis qui adhuc tenera ætate sunt, lacteque opus habent. Nec enim Deus generis nostri auctor, nos solicitos, & circa multa turbatos, vitæ nostræ anxie prospicere atque consulere volebat; id quod tandem Adamo accidit. Is enim degustato arboris fructu; nudum se esse intellexit, eaque de causa subligaculum sibi concinnavit. Sumtis enim ficulneæ foliis, corpus suum contexit. ♄ Nam illo necdum degustato, *Ambo* (Adam scilicet & Eva) *nudi erant, nec tamen erubescebant*. Tales autem nos Deus esse volebat, omnique per-

† *Greg. Naz. orat.* 38. *&* 42. ¶ *Method. ap. Epip. hær.* 64. ♄ *Gen.* 3. *v.* 7.

turbatione vacare: quippe quod animi ab omni libidinis affectu remotissimi argumentum est; ac præterea, ut solicitudine omni carentes, in aliud opus non incumberemus, nisi quod Angelorum est; nempe ut creatorem perpetuis laudibus celebraremus, inque ejus contemplatione oblectaremur, cura omni super eum jactata; velut per propheram David his verbis declaravit: § *Jacta super Dominum curam tuam, & ipse enutriet*. In Evangeliis quoque discipulos suos docens, ait: * *Ne soliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini*. Ac rursus: *Quærite primum regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis*. Et ad Martham verba faciens: ¶ *Martha, Martha, solicita es, & turbaris erga plurima: porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea*; hoc est, ut Domini pedibus assideat, ipsiusque sermones audiat.

At vero arbor vitæ, aut ejusmodi erat, ut

§ *Psal.* 54. *v.* 23. * *Matt.* 6. *v.* 25.
¶ *Luc.* 10. *v.* 14.

ut vitam conferret, § aut qua illi qui digni essent, nec morti obnoxii, vesci possent. Nonnulli porro Paradisum sensibilem fuisse opinati sunt: alii contra spiritalem, & qui sola mente perciperetur: Mea quidem hæc sententia est, quod sicut homo sensibili & spirituali natura constans conditus erat, sic & ejus sacratissimum templum sensibile simul & spiritale erat, duplicemque exhibebat speciem. Corpore siquidem in divinissima & pulcherrima regione, uti retulimus, habitabat: animo autem in sublimiori, omnique comparatione præstantiori ac pulchriori loco morabatur, hospitem suum Deum habens pro domo, imo & pro illustri vestimento, cujus gratia circum vestitus esset, & cujus contemplatione, quæ sola dulcissimus fructus est, velut alius quispiam Angelus, multa cum voluptate frueretur, eaque pasceretur: id quod quidem lignum vitæ merito appellatum est. Divinæ enim participationis suavitas vitam nulla morte interruptam iis, a quibus percipitur, impertit. Atque illud est quod Deus omne li-

§ *Nemes. cap.* 1. *de nat. hom.*

gnum appellavit, ¶ *Ex omni*, inquiens, *ligno, quod est in Paradiso, vescentes comedetis*, Ipse enim omne illud est, in quo, & per quem omnia constant.

Atqui lignum scientiæ boni & mali multiplicis est speculationis dignotio, § id est propriæ naturæ agnitio: quæ, cum opificis magnificentiam ex sese prædicet, adultis quidem, & in divina contemplatione provectis bona est, quod ipsis verendum non sit, ne in deterius labantur; quippe cum ex diuturna exercitatione ad hujusce contemplationis habitum quendam pervenerint: haudquaquam vero bona est junioribus adhuc & avidiori, quam par sit, appetitu præditis, quos nimirum, quia non firmiter satis hærent in eo quod præstantius est, nec constanter adhuc in unici boni contemplatione defixi sunt, corporis sui cura ad se retorquere & distrahere consuevit.

Adhunc modum, duplicem fuisse Paradisum opinor, vereque Patres divinitus afflati tradiderunt; tam qui hoc, quam qui illo

¶ *Gen.* 2. *v.* 16. § *Greg. Naz. orat.* 38. & 42.

illo modo docuerunt. Quanquam sic etiam intelligi potest omne lignum, † divinæ utique potentiæ ex rebus conditis parta cognitio, quemadmodum ait Apostolus: § *invisibilia enim ejus a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*. Omnium porro cogitationum harum atque contemplationum præstantior illa est, quæ in nostri, sive compositionis nostræ, consideratione versatur, ut divinus David ait: ¶ *Mirabilis facta est scientia tua ex me*, hoc est, ex mei structura. Cæterum ejusmodi cognitio Adamo, recens condito ac tenero, ob has quas diximus rationes, periculo non carebat.

Quin per lignum vitæ intelligere etiam licet, diviniorem illam speculationem, quæ ex rebus sensibilibus nascitur, atque ascensum illum, quo per eas ad omnium parentem, conditorem & auctorem assurgimus ex quibus compactum est: quod quidem etiam omne lignum nuncupavit, hoc est, plenum ac indivisum, solamque boni participatio-

† *Maxim. in script. pag.* 10. § *Rom.* 1. *v.* 20. ¶ *Psal.* 138. *v.* 6.

nem ferens. Per lignum autem scientiæ boni & mali, cibum sensibilem, & delectabilem, qui, quamvis suavitatis speciem præ se ferat, revera tamen eum a quo percipitur, in mala conjicit. † *Dixit namque Deus: ex omni ligno, quod est in Paradiso, vescendo comedes*: quasi dicat, ni fallor; fac ut per creaturas omnes ad me conditorem assurgas, unumque ex omnibus fructum decerpas, me scilicet, qui vera vita sum. Da operam, ut omnia vitæ tibi fructum ferant: atque id age, ut mei participatione in rerum natura consistas. Hac enim ratione immortalis eris. § *De ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedatis ex eo. Quacumque enim die comederitis ex eo, morte moriemini*. Ea enim est sensibilis cibi natura, ut id quod subefluxit repleat, atque in secessum & corruptionem abeat. Nec fieri potest, ut incorruptus maneat, qui sensibili cibo vescitur.

† *Gen.* 2. *v.* 16. § *Gen.* 2. *v.* 17.

HOc pacto itaque Deus intelligentem ſubſtantiam, puta angelos, cœleſteſque omnes ordines creavit, qui intelligentis proculdubio atque incorporeæ naturæ ſunt (incorporeæ, inquam, ſi cum materiæ craſſitie comparentur. Nam alioqui ſolus Deus revera materiæ & corporis expers eſt) Hoc item pacto naturam ſenſibilem condidit, nempe cœlum terramque, & quæ medium obtinent locum: atque illam quidem, familiarem ſibi (familiaris quippe & affinis Deo eſt rationalis, intellectualiſque natura) alteram autem longiſſimo prorſus intervallo diſtantem, § ut quæ ſub ſenſum cadat. Verum quo majoris, ut divinarum rerum interpres Gregorius ait, ſapientiæ, munificentiæque circa rerum naturas ſpecimen ederetur, ex utraque quoddam concretum, quod viſibilis & inviſibilis naturæ tanquam vinculum aliquod eſſet, conflari decebat. Hoc porro verbo *decebat*, nihil aliud indicatur, niſi voluntas opificis. Hæc quippe lex & ſanctio eſt: congruentiſſima nec quiſquam factori dicturus

§ *Greg. orat.* 38. & 42

est, cur me feciſti ſic? Poteſt enim pro ſuo jure figulus ex luto ſuo varii generis vaſa conficere, quo induſtriæ ſuæ argumentum præbeat.

Hæc ergo ita ſe haberent, hominem ex viſibili & inviſibili natura ſuis Deus manibus ad imaginem & ſimilitudinem ſuam condit: ſic nempe, ut effecto de terra corpore, animam ratione & intelligentia præditam inſufflatione ſua ei tribuerit: id quod divinam imaginem appellamus. Quod enim dicitur, *ad imaginem*, hoc vis intelligendi, arbitriique libertas ſignificatur: quod autem *ad ſimilitudinem*, virtutis, quantum fieri poteſt, expreſſa ſimilitudo notatur.

Porro corpus & anima ſimul creata ſunt; non autem, uti deliravit Origenes, hæc prius, illud poſterius.

Creavit itaque Deus hominem innocentem, rectum, probum, triſtitiæ & ſolicitudinis expertem, omni virtutum genere decoratum, † omnibus florentem bonis, velut alterum quendam mundum in magno parvum, alium Angelum adoratorem, miſtum

† *Greg. Naz.* 38. & 42.

ſtum, viſibilis creaturæ ſpectatorem, ejus quæ intelligentia percipitur diſcipulum, Regem eorum quæ in terra ſunt, ſupernо regi ſubjectum; terrenum ſimul & cœleſtem, temporarium & immortalem, qui viſu & mente capi poteſt, medium inter celſitudinem & humilitatem; ſpiritum & carnem; qui per gratiam ſpiritus ſit, & propter ſuperbiam caro; illud ut permaneat, eumque laudet, cujus beneficiis ornatus fuit; hoc, ut patiatur, & patiendo admoneatur, cumquemagnitudinis cauſa ſe extollit, emendetur: animal hic, ſive in præſenti vita, certo conſilio gubernatum; atque alio, hoc eſt, ad futurum ævum migrans; quodque myſterii finis eſt, per mentis ad Deum converſionem divinitate dotatum; non ut in divinam ſubſtantiam migret, ſed ut divinam illuſtrationem participet.

Quin etiam Deus illum natura a peccato immunem creavit, liberæque voluntatis. Immunem inquam, a peccato, † non quod peccati minime capax eſſet (nemo enim præter Deum eſt, qui non peccare queat) ſed

† *Athan. lib. de Inc. con. Apoll.*

sed quod peccati perpetrationem, non in natura, sed in voluntatis electione admissurus esset; id est, cum divinæ gratiæ adjumento perseverare, & in bono proficere posset, ac rursus per arbitrii libertatem a virtute recedere, Deique permissione in vitium labi. Haud enim virtuti deputandum, quod invitis nobis agitur.

Jam vero anima est vivens, simplex, & incorporea substantia, corporis oculorum suapte natura sensum fugiens, immortalis, rationis & intelligentiæ particeps, organis instructo utens corpore, § cui vitam, incrementum, sensum, & gignendi vim tribuat, non aliam a se sejunctam mentem habens (mens quippe nihil aliud est quam subtilissima ipsius pars: quod enim oculus in corpore, hoc mens in anima est) arbitrii libertate, volendique, & agendi facultate prædita: mutabilis, hoc est ejusmodi, quæ voluntatis mutationem subire queat, propterea quod creata sit. Atqui hæc omnia creatoris beneficio secundum naturam consequuta est, a quo nimirum accepit, & ut esset

* *Max. opus. de anima.*

esset, & hujus naturæ esset.

Incorporea porro, & invisibilia, & figuræ expertia duobus modis intelligimus. Alia enim suamet essentia ejusmodi sunt, alia gratia. Itemque alia suapte natura, alia, si cum materiæ crassitie comparentur. Incorporeum igitur esse, Deo convenit secundum naturam; Angelis autem, & dæmonibus, & animis, secundum gratiam, habitaque ratione ad materiæ crassitiem.

At vero corpus est, id quod triplici dimensione constat; hoc est, quod, & longitudinem, & latitudinem, & profunditatem, sive crassitiem habet. Corpus autem omne ex quatuor elementis compactum est: animantium vero corpora ex quatuor humoribus.

Et quidem sciendum est, quatuor elementa esse; terram nimirum, quæ sicca & frigida est; aquam, quæ frigida & humida: aerem, qui humidus & calidus; ignem, qui calidus & siccus. Ad eundem modum, quatuor humores exsistere, qui elementis quatuor navita qualitate respondent. Atra quippe bilis, ut pote sicca & frigida, ter-

ræ

ræ respondet: pituita aquæ; est enim frigida & humida: sanguis, aeri; calidus enim & humidus est: flava denique bilis, igni, ut quæ calida sit, & sicca. Jam fructus ex elementis: conflantur: humores ex fructibus: animantium vero corpora ex humoribus: atque in eadem ipsa relabuntur. Quidquid enim ex aliquibus concretum est, hoc in eadem resolvitur.

Illud insuper nosse oportet, hominem, & cum inanimis communicare, & brutorum animantium vitæ participem esse, & cum illis denique, quæ ratione prædita sunt, intelligere. Nam cum rebus inanimis, tum ratione corporis communicat, tum quia ex quatuor elementis concretus est: cum plantis, tum propter ista, tum propter eam vim qua aluntur, augescunt, & seminant, sive gignunt: cum brutis, tum quantum ad hæc omnia, tum præterea quantum ad appetitum, hoc est, iram, & cupiditatem; itemque sensum, & motum impulsionis.

Sensus porro sunt quinque visus, auditus, olfactus, gustus, tactus. Ad motum impulsionis vis ea spectat, qua e loco ad

locum migramus, totumque corpus movemus, qua item vocem emittimus, & qua respiramus. Hæc enim, vel facere, vel non facere in nobis situm est.

Postremo per rationem, incorporeis naturis & rationalibus copulatur, ratiocinando videlicet, atque intelligendo, deque singulis judicando, & virtutes, adeoque pietatem, quæ omnium virtutum fastigium est, consectando: quo fit, ut homo mundus minor appelletur.

Sciendum quoque est, sectionem, fluxionem, * & mutationem solius corporis propria esse: mutationem autem illam intelligo, quæ secundum qualitatem contingit, cujusmodi est calefactio & frigefactio, aliæque id generis: pari modo fluxionem, eam quæ evacuando fit. Evacuantur enim sicca & humida, ac spiritus, & suppletione opus habent: unde fames & sitis naturales affectiones sunt. Sectio est secretio humorum ab invicem, § & divisio in formam & materiam.

Rursus ad animam proprie spectant pietas

* *Nemes. c.* 1. *de nat. hom.* § *Nemes. ibid*

tas & consideratio. Animæ vero & corpori communes sunt virtutes: cum tamen ad animam referantur, ut pote anima corporis operam adsciscente.

Illud præterea notandum, quod ratio ex suapte natura irrationabilis partis domina sit. Dividuntur quippe animæ facultates in eam quæ rationis particeps, & eam quæ rationis expers est. Ac rursus illa quæ rationis est expers, duas partes habet, quarum altera rationem non audit, id est ei non obsequitur; altera ei paret & obtemperat. Rationis dictamen & imperium spernit vitalis facultas, quæ pulsatrix appellatur, itemque seminatrix, seu generans; vigetans quoque, quæ & vis altrix dicitur, ad quam augescendi facultas spectat, quæ & corpora format, & concinnat. Neque enim hæ ratione, sed natura reguntur. Pars autem illa quæ rationem audit, eique obsequitur, in iram & cupiditatem distribuitur. Communi autem nomine pars irrationabilis vocatur illa, in qua passiones & appetitus exsistunt. Scire interest vim impulsivam ad eam partem quæ rationi subest per-

pertinere.

At vero facultas altrix, generans, arteriæ pulsatrix, ad illam attinet, quæ rationis imperium respuit. Vegetans autem facultas, dicitur illa qua crescimus, & gignimus: vitalis tandem, ea qua arteriæ moventur.

† Porro facultas nutriendi quadripartitas vires habet, nimirum attrahendi, qua cibus attrahitur, retinendi, qua retinetur, nec confestim excerni finitur: immutandi, qua alimentum in humores vertitur: excernendi, qua ciborum superflua per secessum egeruntur & expelluntur.

Nec illud quidem prætereundum est, vires eas quæ animanti insunt, partim animanti insunt, partim animales, partim vegetantes, partim vitales esse. Animales quidem, quæ a voluntate proficiscuntur; ut motus impulsionis, & sensus. Ad motum vero impulsionis pertinet transitio e loco in locum, & illa motio, qua totum corpus movetur, ea item qua vocem imittimus, & qua respiramus. Ut enim hæc

† *Nemesſ. c.* 32. § Idem· ibid.

facianus, aut non faciamus, in nostra potestate situm est. Vegetantes autem & vitales, hæ sunt, quæ a voluntate non pendent. Ac vegetantes quidem sunt, nutrientis, augescendi, & seminandi facultates: vitalis autem est pulsuum motrix. Hæ namque, velimus nolimus, munus suum exsequuntur.

Postremo advertendum est, rerum alias bonas esse, alias malas: & quidem bonum exspectatum, cupiditatem gignere; præsens autem, voluptatem: eodem rursus modo malum, dum exspectatur, timorem afferre; cum adest, mœrorem. In quo illud etiam sciendum, per bonum, hoc loco tam id quod revera bonum est, a nobis intelligi, quam illud quod boni duntaxat speciem habet: perindeque de malo consendum est.

De Voluptatibus: CAP. XIII.

VOluptatum, aliæ animi, aliæ corporis sunt. Voluptates animi sunt eæ omnes, † quibus animus a corpore fruitur: qua-

† *Nemes. c.* 18.

† quales ſunt quæ ex diſciplinis & contemplatione ſentiuntur. Voluptates corporis ſunt illæ, quarum corpus una cum anima particeps eſt, ob idque corporales dicuntur: cujuſmodi ſunt, quæ ex cibis & venereis rebus, aliiſque id genus capi ſolent. Nam quæ ſolius corporis ſint, nullæ omnino voluptates reperiri queunt.

Rurſus voluptatum aliæ veræ ſunt, aliæ falſæ. Atque eæ quæ animi tantummodo ſunt, in rerum cognitione & contemplatione conſiſtunt: quæ autem ex corporis commercio, hæ ſenſibus hauriuntur. Jam earum voluptatum, ad quas corpus adſciſcitur, aliæ naturales ſimul & neceſſariæ ſunt, ſine quibus vita duci non poſſit; quo in genere ſunt illæ quæ ex cibis quibus quod exhauſtum eſt, repletur, & quæ ex neceſſariis indumentis percipiuntur. Aliæ item naturales, ſed non neceſſariæ, ut venereorum naturalis & legitimus uſus. Etſi enim venereæ voluptates ad generis totius conſervationem ſpectant, non tamen ejuſmodi ſunt, ut iis ſubmotis in virginitate vita tranſigi nequeat.

† *Chriſt. hom. 74. in Joan.*

Aliæ postremo nec necessariæ, nec naturales, ut edacitas, petulantia libidinis, ciborum nimia ingurgitatio. Neque enim ejusmodi voluptates ad vitæ nostræ conservationem, nec ad generis propagationem conducunt; quin officiunt. Quamobrem ille, qui Deo acceptam vivendi rationem profitetur, eas tantum quæ simul necessariæ sunt & naturales, consectari debet: illas vero quæ naturales, non tamen necessariæ sunt, posteriori loco habere, nec nisi congruenti tempore, loco, & mensura ad hibere. Reliquas demum oportet penitus rejicere.

Honestæ porro voluptates eæ prorsus censendæ sunt, quæ nec cum tristitia junctæ sunt, nec pœnitendi causam afferunt, nec aliud incomodum pariunt, nec modum excedunt, nec denique nos a seriis negotiis admodum abstrahunt, aut servituti mancipant.

De Tristitia. CAP. XIV.

TRistitiæ quatuor species: mœror, molestia, invidentia, * misericordia. Mœror

* *Nemes. c.* 19.

tor est tristitia vocem adimens: molestia tristitia premens: invidentia, tristitia ob alterius bona: misericordia denique, tristitia ob res aliorum adversas.

De Timore CAP. XV.

SEd & metus sex sunt genera; segnities, pudor, verecundia, stupor, terror, angor. † Segnities est metus impendentis actionis. Pudor, metus ex vituperationis exspectatione: optimusque est hic affectus. Verecundia, metus ob admissum turpe facinus: at ne hic quidem affectus extra spem salutis est. Stupor, metus ex immani aliqua re animo objecta. Terror, metus ex insuetæ rei specie contractus. Angor denique, metus ne vota nostra infeliciter cedant. Tunc enim angore afficimur, cum metuimus ne quod aggressi sumus, bene non succedat.

† *Nemes. c.* 20.

De Ira. CAP. XVI.

IRa est sanguinis qui cordi affusus est, ebullitio, § ex exhalatione, seu fuligine bilis proveniens: unde χολὴ & Græce appellatur, & χόλος idest bilis, & indignatio. Est etiam interdum ira, ulciscendi libido. Nam cum ab aliquo lædimur, aut lædi nos existimamus, ira commovemur: ac tunc mistus fit hic affectus ex cupiditate & ira.

Tres porro iræ sunt species. Excandescentia, quæ & χολὴ, & χόλος dicitur, μῆνις, item, & κότος. Nam cum ira exoritur, moverique incipit, bilis nuncupatur. μῆνις autem est bilis diuturnior, sive acceptæ injuriæ memoria. Unde etiam hoc nomen nacta est ἀπὸ τοῦ μένειν, i. quod maneat & memoriæ tradatur. Κότος denique est ira ulciscendi occasionem captans, unde & nomen traxit ἀπὸ τοῦ κεῖσθαι, i. e. eo quod animo repolita sit.

Est porro ira rationis satelles, vindex cupiditatis. Nam cum rei alicujus desiderio tenemur, atque ab aliquo cohibemur, tunc quasi injuria accepta, adversus illum excandes-

deſcimus; ratione videlicet eam rem iracundia dignam judicante, in illis utique qui ordinem ſuum tuentur, ut naturæ ratio poſtulat.

De vi Imaginatrice CAP. XVII.

VIs maginandi, irrationabilis animæ partis facultas eſt, per ſenſuum organa operans; quæ & ſenſus dicitur φαντασὸν autem, & ſenſibile illud appellatur, quod ſub vim illam & ſenſum cadit: v. g. viſus ipſa vis eſt cernendi; viſibile, quod viſui ſubiicitur; puta, lapis, aut aliquid hujuſmodi. Imaginatio porro eſt affectio irrationabilis animæ ex aliquare, quæ in imaginandi vim cadat, exorta. Phantaſma denique, ſeu viſum, eſt innanis affectio in parte animæ irrationabili, quam nulla res, quæ imaginationi ſubjiciatur, efficiat. Sedes porro virtutis imaginandi, eſt anterior cerebri ventriculus.

Nemeſ. c. 6.

De Senſu. CAP. XVIII.

SEnsus est ea animæ vis, quæ res materiales percipit, seu dijudicat. Sensoria autem, organa sunt, sive membra, quorum beneficio & opera sentimus. Sensibilia vero, ea quæ sub sensum cadunt. Sentiendi capax, denique, animal est sensu præditum. Sensus autem quinque sunt, totindemque sensum organa.

Primus sensus est visus. Sensoria ejus, seu organa sentiendi, nervi sunt e cerebro derivati, & oculi. Ac visus quidem primarie colorem percipit, § & una cum colore corpus coloratum dignoscit, ipsiusque magnitudinem, figuram, locum in quo est, interjectum spacium, & numerum; motum quoque & quietem; asperumne, an læve; planum, an inæquale, accutum, an obtusum; ac denique ipsius compagem & consistentiam, num aquea sit, an terrea; hoc est humida, aut sicca.

Secundus sensus est auditus, quo voces ac soni percipiuntur. Hic autem sensus dignoscit eorum acumen, & gravitatem, lævitatem, & asperitatem, & magnitudinem. Ipsi-

§ *Nemes. c. 7.*

Ipsius organa sunt nervi molles e cerebro ducti, atque aurium structura. Porro ex omnibus animantibus, solus homo, & simia aures non movent.

† Tertius sensus est est olfactus; qui quidem naribus vapores ad cerebrum deferentibus efficitur, & ad extremas anteriorum cerebri ventriculorum metas terminatur. Vapores autem sentit, & percipit olfactus. Vaporum porro hoc generalissimum discrimen est, ut alios suaves; alios fœtidos, alios denique nec suaves, nec insuaves esse intelligamus. Fit autem odor suavis, cum humores qui corporibus insunt, probe fuerint excocti. Quod si mediocriter duntaxat cocti sint, media quoque erit eorum dispositio. Sin autem infra mediocritatem, aut nulla omnino coctio exstiterit, fœtidus odor afflabitur.

Quartus sensus est gustus, quo sapores percipiuntur, sive sentiuntur. § Hujus organa sunt, lingua, & præsertim extrema ipsius pars sive cuspis, & palatum (quod nonnulli Græce vocant βραγίσχον, veluti

† *Nemes. c.* 11. § *Nemes. c.* 9.

calículum) in quibus nervi illi exporrecti sunt, qui a cerebro deferuntur, partique illi animæ, quæ principatum tenet, quid perceptum fuerit, quitve sensus exstiterit, referunt. Jam vero saporum qualitates, quæ gustabiles appellantur, hæ sunt, dulcedo, acrimonia, aciditas, acerbitas, austeritas, amaritudo, salsedo, pinguedo, viscositas. Istæ siquidem qualitates gustu dignoscuntur. Ast aqua, quantum ad illas qualitates, saporis omnis expers est: nullam enim qualitatum habet. Acerbitas autem nihil aliud est, nisi intensior quædam & redundans accerbitas.

Quintus sensus tactus est, § qui etiam cunctis animantibus communis est. Exsistit autem ille, opera nervorum e cerebro in universum corpus effusorum. Ex quo fit, ut totum corpus, atque adeo reliqua sentiendi organa, sensum tactus habeant. Tactui porro subsunt, calidum & frigidum, molle & durum, tenax, siccum, rigidum, grave, & leve. Hæc enim solo tactu cognoscuntur. Sunt autem tactui & visui communia, aspe-

§ *Nemes. cap.* 8.

aſperum & læve; ſiccum & humidum; craſſum & tenue, ſurſum ac deorſum; locus quoque & magnitudo (ſi quidem tanta ſit, ut uno tactus appulſu comprehendi poſſit) denſum item, & rarum, ſeu fungoſum, atque rotundum, ſi modo illud exiguum ſit; aliæque itidem nonnullæ figuræ. Quin memoriæ quoque & cogitationis adjumento, corpus propinquum ſentit, Sic numerum quoque perſentiſcit, dummodo binarium, aut ternarium non excedat, parvoſque hujuſmodi numeros, qui manu facile comprehendi poſſint. Quanquam hos magis viſus apprehendit, quam tactus.

Illud ſciendum eſt, Deum idcirco cœtera omnia ſenſuum organa gemina ſtruxiſſe, ut, ſi unum labefactari contigerit, alterum ipſius munus expleat. Duplices enim oculos condidit, duplices aures, duplices narium meatus, & linguas duplices; quæ in quibuſdam animantibus diviſæ ſunt, ut in anguibus, in aliis autem conjuncta, ut in homine. Tactum autem toto corpore diffudit, exceptis oſſibus, nervis, unguibus, cornibus, pilis, juncturis, & aliis qui-

qui usdam hujusmodi.

Illud quoque scire alienum non fuerit, visum rectam lineam cernere, auditum & olfactum non rectam duntaxat, sed undecunque objecta sensibilia percipere: tactum vero & gustatum nequaquam recta linea, nec undecunque sentire, sed tum denique, quando sensilibus suis proxime admoventur.

De cogitatione. CAP. XIX.

AD eam partem, in qua cogitatio est, generatim pertinent judicia, assensus, impetus ad agendum, & declinationes, ac fugæ ab actione. § Speciatim autem considerationes earum rerum quæ intelliguntur, virtutesque & disciplinæ, artium rationes, deliberatio, & electio. Quin hæc quoque pars dormientibus nobis eventus futuros vaticinatur; * quam quidem unam pythagorici, in hoc Hebræos sequuti, veram divinationem esse censent. Hujus porro organum est medius cerebri ventriculus, spiritusque

§ *Nemes. c.* 11. * *Greg. Nyss. de opif. hom. c.* 13.

sque animalis qui in eo est.

De Memoria. CAP. XX.

VIs illa qua meminimus, est memoriæ & recordationis causa & promtarium. Est enim memoria, species & imago ab aliquo sensu, mentisque actione, quæ actu apparuerit, relicta. † Vel, rei sensu & cogitatione perceptæ conservatio. Etenim cum anima sensibilia per sensuum organa percipit, seu sentit, fit opino: sin vero, quæ in intelligentiam cadunt, mente cognoscit, fit intellectio. Quocirca, cum earum rerum, quas vel opinione, vel intellectione complexa est, figuras servat, memisse dicitur.

Illud porro sciendum est, ea quæ sub intelligentiam cadunt, non aliter quam per disciplinam, aut naturalem intelligentis animi notionem percipi posse. Non enim ex sensu: nam sensibila per sese memoria tenentur: quæ autem intelliguntur, eorum quidem meminimus, si quid eorum didicimus:

† *Nemes. cap.* 13.

mus: cæterum illorum substantiæ memoriam nullam habemus.

At vero reminisci tum quispiam dicitur, cum memoriam per oblivionem obliteratam recuperat. Oblivio enim est memoriæ jactura. Ergo imaginatio materias sensibus perceptas, cogitationi vel rationi tradit (eadem enim utriusque vocabuli vis est) quas illa acceptas atque perpensas ad memoriam transmittit. Memoriæ porro organum & sedes est posterior cerebi ventriculus, quem etiam occipitium vocant, & spiritus animalis, qui in eo includitur.

De verbo, seu sermone interno, & prolatitio, CAP. XXI.

RUrsus, animæ pars rationabilis, in internum atque in prolatitium sermonem dividitur. Est autem internus animi motus, qui in patre quæ ratiocinatur, absque ulla eloquutione efficitur. Ex quo plerumque fit, ut integram orationem nobiscum tacite percurramus, nec non in somnis colloquamur. Propter hoc potissimum λογικὸν, id

id est rationales sumus. Nam qui surdi nati sunt, aut morbo aliquo, aut injuria illata, vocis usum amiserunt, nihilominus rationis comportes sunt. At sermo prolatitius in voce & dicendi modis vim suam prodit; ille, inquam, qui linguæ & oris ope profertur: unde prolatitius vocatur, estque cogitationis animi nuncius Per hunc autem λαλητικοὶ, id est, loquendi facultate præditi, dicimur.

De Passione & actione. CAP. XXII.

PAssio multiplicis significationis vocabulum est. Nam & corporis passio dicitur, ut morbi & vulnera; & rursus animi, ut cupiditas & ira. Est autem, ut communiter & in genere dicam, animalis passio, quam sequitur voluptas aut tristitia. Nam passionem dolor sequitur, non autem ipsa passio dolor est. Insensibilia enim patiuntur, nec tamen dolent. Non igitur passio ipsa, sed passionis sensus, est dolor. Hanc porro non contemnendam, h. e. magnam esse oportet, quæ sensum feriat.

Passionum autem enim hæc definitio est.

Pas-

Passio est sensibilis motus virtutis apprehensivæ ex boni aut mali cujuspiam imaginatione. Vel alio modo: Passio est irrationabilis motus animæ ob boni vel mali opinionem. Enim vero boni opinio cupiditatem movet; mali autem opinio, iram. At vero in genere & communiter passio sic definitur: Passio est motus ex alio in alio. Actio autem est motus efficax. Efficax porro dicitur, quod ex seipso movetur. Sic nimirum ira, actio quædam est partis irascentis, passio autem est, utriusque animæ partis, & totiusque corporis, cum ad agendum ab ira per vim trahitur. Tunc enim ex alio in alio motus fit: id quod passio nuncupatur.

Quin alio quoque modo actio dicitur passio. Actio enim motus est naturæ consentaneus; passio, motus præter naturam. Hæc igitur ratione actio passionis nomen obtinet, cum motu naturæ repugnantis cietur, sive quis ex seipso moveatur, sive motu impresso ab alio. Ac proinde cordis motus, quo arteriæ pulsantur, naturalis cum sit, actio etiam est: qui vero ex palpitationibus oritur, quia modum excedit, nec est natu-

naturæ consentaneus, passio utique est, non actio.

Nec vero motus omnes, qui in patibili animæ parte excitantur, passiones vocantur: verum ii duntaxat, qui vehementiores sunt, atque ad sensum usque perveniunt. Leves enim motus, & qui sensu non percipiuntur, passiones non sunt. Alicujus enim momenti magnitudinem habere passio debet. Unde in passionis definitione additum est, *motus sensibilis*: quia parvi motus, nec sensibiles, passionem non faciunt.

Illud porro notandum duplices esse animæ nostræ vires, alias in cognitione positas, alteras vitales. Vires in cognitione positæ, sunt mens, cogitatio, opinio, imaginatio, sensus. Vitales, seu appetentes, voluntas, & electio. Ut autem dilucidius fiat quod dicimus, age de his facultatibus accuratius differamus: ac primo loco de iis, quæ in cognitione versantur, sermo sit.

Et quidem de imaginatione & sensu satis jam superius dictum est. Per sensum itaque in animo conflatur ea passio, quæ imaginatio nominatur. Ex imaginatione,

oricur opinio: tum cogitatio, opinionem expendens, vera ne sit, an falsa: tum demum quod verum est judicat; ob idque etiam Græce διάνοια, dicitur, ἀπὸ τοῦ διανοεῖν, i. e. ab eo quod considerat & dicernit. § Demum quod decretum, verumque definitum est, intellectus nominatur.

Vel alio modo. Sciendum est, quod prima mentis agitatio, cogitatio simplex dicitur. Quæ autem rei alicui affixa est, ἔννοια, seu mentis notio, appellatur. Hæc porro si diutius perstiterit, atque in animo, id quod cogitatum est, impresserit, consideratio nuncupatur. Consideratio in eadem re rursus hærens, ac sese probans & explorans, prudentia nominatur. Hæc denique si latius progreditur, ratiocinationem facit, quæ internus sermo est, & definitur, plenissimus animi motus, qui in rationis facultate sine ulla vocis emissione gignitur; ex quo prolatitium ajunt prodire sermonem, qui lingua pronunciatur. Hactenus de animæ viribus quæ in cognitione sitæ sunt: nunc

§ *Max. epist. 1. ad Marin.*

nunc de vitalibus, ſive appetentibus dicamus.

Sciendum itaque eſt, inſitam a natura vim eam eſſe, qua id quod naturæ conſentaneum eſt, appetat, & omnia quæ naturæ eſſentialiter inſunt, tueatur & conſervet: quæ quidem voluntas dicitur. Subſtantia enim, & eſſe, & vivere, & mente pariter, ac ſenſu moveri appetit; quod nempe naturalem entitatem ſuam plenam & perfectam concupiſcat. Unde voluntatem hanc naturalem ſic definiunt: † Voluntas eſt rationalis & vitalis appetitus, ex iis duntaxat quæ naturalia ſunt, pendens. Quocirca θέλησις quidem nihil aliud eſt, quam ipſemet naturalis, vitalis, ac rationalis appetitus eorum omnium quibus natura conſtituitur, & ſimplex facultas. Etenim brutorum appetitus, cum irrationabilis ſit, voluntas nequit dici.

At vero βούλησις, eſt talis quædam voluntas naturalis; hoc eſt, naturalis & rationalis cujuſpiam rei appetitio. Inſita enim eſt hominis animæ vis ſecundum ra-

† *Max. ad marin & ad Incett. p.* 98.

tionem appetendi: proinde, cum hæc naturalis appetitio ad rem aliquam excitatur, *volitio* dicitur. *Volitio* enim, seu voluntatis actus, est rei cujusdam appetitio rationalis & desiderium.

Dicitur autem βούλησις, tum de iis quæ in nostra potestate sunt, tum de illis quæ in ea non sita sunt: hoc est, de iis quæ fieri possunt, & de illis quæ non possunt, Etenim libidini indulgere, aut pudicitiam colere, aut dormire, aut hujusmodi quidpiam plerumque volumus, quæ quidem omnia in arbitrio nostro sita sunt, ac fieri possunt. Volumus item & reges esse; quod tamen in nobis situm non est. Volumus quoque fortasse nunquam mori, quod quidem fieri nequit.

Voluntas, seu volendi actus finem spectat, non ea quæ sunt ad finem. Ac finis quidem est, id quod actus voluntatis subjectum est v. g. regnare, † bona valetudine esse: ad finem autem, id de quo consultatur; puta modus consequendæ sanitatis, vel regiæ dignitatis. Voluntatis actum sequi-

† *Max. Dial. cum Pyrit. & ep.* 1. *ad Marin.*

quitur inquisitio & consideratio. Deinde si de rebus quæ in potestate nostra sunt, agitur, consilium exsistit, seu deliberatio. Est autem consilium appetitus inquirens de rebus agendis; quarum potestas penes nos est. Deliberat enim quispiam, num rem aliquam aggredi debeat, nec ne: tum id quod idoneum magis sit judicat, & judicium dicitur. Postea erga illud afficitur, & amplectitur quod consilium censuit; & tunc γνώμη, i. sententia vocatur. Nam si ita judicet, ut tamen erga illud quod judicatum est, non afficiatur; hoc est, illud minime amplectatur, sententia non dicitur. Jam vero affectionem sequitur electio, quippe quæ nihil est aliud nisi e duabus rebus quæ proponuntur, alterius præ altera susceptio. Dein ad actionem progreditur, & hoc dicitur Impulsus. Tum subinde adepto fine utitur, & tunc Usus appellatur. Post Usum denique appetitus quiescit.

Porro quidem in brutis, protinus ut rei alicujus appetitus nascitur, impulsus quoque ad actionem exsistit. Eorum siquidem appetitus irrationabilis est, soloque naturali

appetitu aguntur. Quo fit ut brutorum appetitus, † nec voluntas, nec voluntatis actus dici possit. Nam voluntas est appetitus naturalis, rationabilis & liber. At in hominibus, ut pote ratione præditis, naturalis appetitus, non tam ducit, quam ducitur; quippe qui libere & cum ratione movetur, quia facultates cognoscendi & vivendi in homine conjunctæ sunt; ac proinde libere appetit, vult, inquirit, considerat, deliberat, judicat, afficitur, eligit, ad agendum prorumpit, agitque in illis rebus quæ naturæ consentaneæ sunt.

Illud vero ignorandum non est, quod in Deo volendi quidem actum dicimus, non autem electionem proprie sumtam. Deus quippe non deliberat: quia ignorantis est consilium inire. § Nemo enim de eo deliberaverit, quod exploratum habet. Quod si deliberatio non nisi ignorantis est, procul dubio nec electio. Quare cum Deus simpliciter omnia norit, in eum non cadit deliberatio.

Quin ne in Christi quidem anima delibe-

ratio-

† *volitio* § *Max. ep.* 1. *ad Marin.*

rationem aut electionem ponimus: neque enim ignorantia laborabat. Nam etsi ejusmodi naturam habebat, quam futurorum cognitio fugeret: tamen ob personalem cum Deo Verbo unionem, rerum omnium cognitione pollebat: quod quidem non gratiæ, sed personali, ut dictum est, unioni tribuendum est. Idem enim ipse, & Deus, & homo erat, ac proinde voluntatem, quæ ex sententia est, non habebat. Naturalis quidem & simplex voluntas, quæ in omnibus hominum personis peræque consideratur, ipsi inerat: cœterum sententiam, id est, rem quam vellet, divinæ voluntati contrariam: & à divina sua voluntate alienam sancta ipsius anima non admisit. Sententia quippe una cum personis discrepat, * præterquam in sancta & simplici, compositionisque ac divisionis experte Deitate. Illic enim, quia personæ nulla ratione dirimuntur, nec illud quod in voluntatem cadit, distinguitur. Atque illic quidem, quoniam una eademque est natura,

§ *Max. Dial. cum Pyrrh.* * *Vid. inf. lib.* 3. *c.* 14.

una quoque est naturalis voluntas. Ac rursus, quia nec personæ divelli possunt, unum quoque voluntatis subjectum est, & una eademque trium personarum motio. In hominibus vero, quoniam una natura est, una etiam est voluntas naturalis. Quoniam rursus disiunctæ personæ sunt, ac loco, & tempore, nec non circa res affectione, aliisque plurimis inter se discrepant, eam ob causam diversæ quoque voluntates sunt, & sententiæ. Verum in Domino nostro Jesu Christo, quoniam diversæ naturæ sunt, diversæ quoque sunt voluntates naturales divinitatis & humanitatis, sive volendi facultates. Sed quia una est persona, unus volens, unum quoque est voluntatis subjectum, unave sententiæ voluntas & arbitraria; humana scilicet voluntate divinæ ipsius voluntati obtemperante, & ea volente, quæ divina ipsius voluntas ipsum volebat velle.

Sciendum autem est, aliud esse θέλησιν, aliud βούλησιν, aliud τὸ θελητὸν, aliud τὸ θελητικὸν, & aliud τὸ θέλοντα; siquidem θέλησις, est ipsa simplex volendi

di facultas. βούλησις, est defixa alicui rei voluntas. θελητόν, est voluntatis subjectum, seu illud quod volumus. E. g movetur appetitus ad cibum: Simplex iste naturalis appetitus, est θέλησις: cibi autem appetitio, βούλησις: ipse cibus, τὸ θελητόν: θελητικὸν vero; illud quod facultate volendi præditum est, ut homo: θέλων denique, seu volens, is qui voluntate utitur.

Ad hæc observandum est, θελήματος vocabulo, quandoque voluntatem, seu volendi facultatem significari, ac tum dici voluntatem naturalem; quandoque etiam illud quod volumus, tuncque sententiæ, seu arbitrariam voluntatem appellari.

De actu. CAP. XXIII.

NOsse oportet, eas omnes facultates de quibus loquuti sumus, tam illæ quæ in cognitione positæ sunt, § quam quæ vitales & naturales, & quæ artificiosæ, ἐνεργείας, i. actus, aut operationes appel-

L 5

* *Anast. Sin. in ὁδηγ. ex Greg. Nyss. p.* 44. § *Clem. Alex. ap. Max. p.* 151.

lari. Actus quippe est, naturalis cujusque substantiæ vis & motus. Et rursum, actus naturalis, est innatus uniuscujusque substantiæ motus. Ex quo patet, quarum rerum eadem natura sit, earum actus quoque eosdem esse: quarum vero naturæ diversæ, discrepantes actus esse.

Fieri quidem non potest, ut substantia ulla actu, seu operatione naturali careat. Iterumque actus naturalis est illa vis qua cujusque natura declaratur. Ac rursus: actus est naturalis, primaque perenni motu prædita intelligentis animæ facultas; hoc est perennis ipsius ratio, naturaliter ex ipsa sine intermissione scaturiens. Vel, actus est vis motioque cujusque substantiæ, qua caret illud solum quod non est.

Quin actus etiam actiones dicuntur, ut loqui, ambulare, comedere, bibere, & alia ejusmodi. Affectiones quoque naturales plerumque actus nuncupantur, ut fames, sitis, aliaque similia. § Dicitur insuper actus, perfectio potentiæ.

Porro duplici modo aliquid esse dicitur, po-

potentia, & actu. Nam puerum adhuc lactentem potentia Grammaticum dicimus, quia sic comparatus est, ut addiscendo Grammaticæ artis peritus evadat. Rursus, Grammaticum dicimus esse tam potentia, quam actu Grammaticum. Actu nimirum, quia Grammatices artem callet: potentia vero, quia cum docere eam possit, non tamen profitetur: tandem actu Grammaticum dicimus, quum eam docet & exponit.

Quocirca animadvertendum est, secundum hunc modum, esse tum potentiæ, tum actui communem: ad secundo quidem potentiam, priore vero actum importari.

Prima, solaque & vera naturæ operatio, seu actus, est vita quam sponte volumus, § sive rationalis & libera, quaque species humana constituitur. Hanc qui Christo eripiunt, haud assequor quonam pacto illum Deum hominem factum dicant.

Actus demum est efficax naturæ motio. Efficax porro dicitur illud quod ex seipso movetur.

De

§ *Greg. Nyss. ap. Max. p.* 155.

De Voluntario & non voluntario. CAP. XXIV.

* QUoniam id quod sponte fit, in actione quadam positum est, & illud quod voluntarium non esse censetur, in quadam etiam actione consistit; multi vero illud quoque quod reapse non est voluntarium, non in patiendo solum, sed etiam in agendo constituunt: omnino scire oportet, actionem esse operationem cum ratione editam. Actiones porro laus sequitur aut vituperium; atque actiones ipsæ, partim cum voluptate, partim cum mœrore fiunt; partimque item agenti acceptæ, partim invisæ sunt: quinimo ex iis quæ acceptæ sunt, aliæ semper arridēt, aliæ quandoque duntaxat: id quod de illis etiam quæ sunt, fugiendæ debet intelligi. Rursus actionum aliæ ejusmodi sunt, in quibus veniæ & misericordiæ locus sit; aliæ odio sunt, & supplicio vindicantur. Et quidem quod voluntarium est, omnino vel laudem, vel vituperium meretur, agiturque cum voluptate: insuper actiones, illis qui agunt, vel sem-

* *Nemes. c.* 29.

ſemper acceptæ ſunt, vel tum ſaltem quando fiunt. Contra id quod voluntarium non eſt, aut venia, aut miſeratione dignum eſt, nec ſine mœrore patratur: præterea agenti accepta non eſt actio, ut pote quam non a ſeipſo perficiat, tametſi per vim ab eo extorqueatur.

Porro non voluntarium, vel per vim fit, vel per ignorantiam. Per vim quidem, dum principium operans, extraneum eſt; ut cum ab alio, † nihil ejus ſuaſionibus illecti, per vim adigimur: nec nos conatum ullum, aut quidpiam adiumenti afferimus, ut per noſipſos, id quod vi exprimitur, faciamus. Hoc autem genus ſic definimus: Non voluntarium illud eſt, cujus principium extrinſecus eſt, nihil ſuopte motu ad actionem conferente illo, cui vis affertur. Per principium autem, cauſam efficientem ſignificamus. At vero non voluntarium fit per ignorantiam, cum nos ignorantiæ cauſam non præbemus, § ſed caſu res ita contingit. Etenim ſi quiſpiam ebrius cædem perpetrarit, inſcius quidem eam admiſit, at non

pror-

† *Nemeſ. c.* 30. § *Nemeſ. c.* 31.

prorsus invite. Ignorantiæ quippe causam, ebrietatem scilicet, ipse accersivit. Sin quispiam in eum quem consueverat locum sagittas mittens, prætereuntem patrem peremerit, ob inscitiam facinus hoc invite patrasse dicitur.

Non voluntarium igitur duplex cum sit, § alterum propter vim, alterum propter ignorantiam, utrique voluntarium opponitur. Illud enim voluntarium est, quod nec per vim, nec per ignorantiam efficitur. Quamobrem voluntarium dicitur, cujus principium, sive causa, in ipso est qui agit, ut ipse noscat omnia singulatim, per quæ actio geritur, & in quibus versatur: quæ quidem *singula*, Rhetores circumstantias appellant; puta, quis, hoc est, ille qui fecit: quem, seu eum qui perpessus est; quid, i. e. hoc quod factum est, ut puta interfecit; quo, scilicet instrumento; ubi, sive quo in loco; quando, id est, quo tempore; quomodo, quove pacto illud egit; quare, seu qua illectus causa.

Scire attinet, quædam esse quæ inter vo-

§ *Nemes. c.* 32.

voluntaria, * & non voluntaria medium locum obtinent. Quæ quidem, etsi injucunda & molesta sunt, vitandi gravioris mali causa suscipimus; ut cum naufragii metu merces navis in mare projicimus.

Sed illud quoque notandum est, quod pueri & bruta animantia sponte quidem faciunt, sed non ex electione. † Quin ea quoque quæ ira commoti absque prævia deliberatione facimus, voluntarie quidem facimus, cæterum non ex electione. Et cum amicus repente occurrit, libentibus quidem nobis adest, non item eligentibus. Ac denique qui præter spem in thesaurum incidit, sponte quidem incidit; sed non ex electione. Hæc enim omnia, hoc quidem nomine voluntaria sunt, quod ex iis voluptatem capiamus: at non item secundum electionem: quia non deliberando fiunt. Deliberatio porro electionem omnino antecedat necessum est, quemadmodum superius dictum est.

* *Nemes. c.* 30. † *Nemes. c.* 33.

De

De eo quod in nostra potestate situm est, sive de libero arbitrio. CAP. XXV.

IN disputatione de libero arbitrio, id est, † de eo quod in potestate nostra situm est, hæc prima occurrit quæstio, sitne aliquid in nostra potestate. multi enim id negant. Altera, quænam sint ea quæ arbitrii nostri sint, & quorumnam penes nos sit potestas. Tertia, quidnam causæ sit, cur nos Deus liberos crearit. A primo itaque resumentes, prius ex iis ipsis quæ apud illos pro indubitatis habentur, demonstremus quædam in nostra potestate esse atque hunc in modum agamus.

Eorum omnium quæ fiunt, aut Deum auctorem esse dicunt, aut necessitatem, aut fatum, aut naturam, aut fortunam, aut casum. Cœterum Dei opus est essentia & providentia; necessitatis, motus illorum quæ eodem semper modo se habent: fati, ut ea quæ per ipsum fiunt, necessario contingant; nam & fatum ipsum necessitatem importat: naturæ vero, ortus seu generatio, accretio;

† *Nemes. c.* 39.

tio, corruptio, ſtirpes, & animantia: fortunæ, ea quæ rara ſunt, ac præter expectationem eveniunt. Fortunam quippe definiunt, duarum una incidentium cauſarum concurſus, quæ ab electione principium habentes, aliud quiddam quam quod natura comparatum ſit, efficiant: ut cum quis fodiens theſaurum invenit. Neque enim is qui theſaurum condiderat, hoc animo condiderat ut alius inveniret: nec rurſus is qui invenit, ea mente fodit, ut theſaurum reperiret: ſed ille quidem, ut, cum vellet, theſaurum tolleret; hic autem, ut foveam foderet. Cœterum aliud quidpiam accidit, præter id quod uterque ſibi propoſuerat. Caſui denique ea aſſignant, quæ inanimis rebus, aut brutis animantibus citra naturam & artem obveniunt. Hæc illorum doctrina eſt. Cuinam igitur horum ea quæ per homines fiunt, ſubjiciemus, ſiquidem homo auctor & principium actionis non ſit? Neque Deo turpes ac ſceleratas actiones prorſus adſcribere fas eſt, neque neceſſitati: non enim actio ex genere eorum eſt, quæ eodem ſemper modo ſe habent. Neque i-

tem fato: nequaquam enim contingentium rerum, sed necessario evenientium fatum esse dicunt. At nec naturæ quidem: quia naturæ opera sunt stirpes & animantia. Nec rursus fortunæ: non enim raræ & inopinatæ sunt hominum actiones. Non denique casui: inanimorum quippe duntaxat, aut brutorum eventus ad casum pertinere censent. Relinquitur itaque eundem ipsum hominem, qui agit & operatur, operum suorum auctorem esse, præditumque adeo arbitrii libertate.

Huc accedit, quod si nullius actionis auctor sit homo, frustra ei deliberandi facultas data est. Quorsum enim deliberatione utatur, si nullius actionis arbitrium penes ipsum sit? Omnis enim deliberatio actionis causa initur. Porro id quo nec præclarius quidquam, nec præstantius in homine est, supervacaneum esse affirmare, extremæ absurditatis est. Ac proinde cum deliberet, actionis causa deliberat. Nulla enim deliberatio est, nisi propter actionem.

EA quæ fiunt, partim poteſtatis noſtræ ſunt, partim illius non ſunt. *In noſtra poteſtate ſita ſunt, quæ liberum nobis eſt facere, vel non facere; hoc eſt, ea omnia quæ ultro & ſponte agimus. (neque enim ea ſponte a nobis fieri dicerentur, ſi actio in noſtro arbitrio minime poſita eſſet) uno verbo, ea omnia quæ, vel laudem, vel vituperationem afferunt, & ob quæ leges & conſilia dantur. Proprie autem in noſtra poteſtate ſunt, quæcunque ad animam pertinent, & de quibus conſultamus. Conſilium porro circa ea verſatur, quæ peræque in utramque partem contingere poſſunt. Peræque autem contingens illud eſt, quod & ipſum poſſumus, & quod ei opponitur: ejus vero electio penes mentem noſtram eſt; hæc enim actionis principium eſt. In nobis igitur hæc ſita ſunt, quæ alterutro modo poſſunt evenire, velut, moveri, & non moveri; incitari, & non incitari; appetere quæ neceſſaria non ſunt, & non appetere; mentiri, & non mentiri; tribuere & non tribuere; gaudere dum convenit, & ſimiliter non gaudere, & ubi non

convenit, cœteraque ejusmodi, in quibus virtutis & vitii munera versantur. Horum enim penes nos libera est potestas. Inter ea quæ peræque in utramque partem contingere possunt, artes numerantur. Penes nos enim est eas colere, & non colere.

Observandum autem est, eorum quæ sub actionem cadunt, electionem quidem semper in nostra potestate esse: * cœterum actionem sæpe impediri certa quadam providentiæ ratione.

* *Nemes. c.* 37.

Quam ob causam libero arbitrio præditi simus. CAP. XXVII.

QUamobrem una cum ratione, arbitrii quoque libertatem accedere dicimus, § (ac creatis rebus mutationem omnino congenitam esse) Quidquid enim creatum est, mutationi quoque subjicitur. Siquidem quorum generatio a muratione initium duxit, ea quoque mutabilia esse necessarium est. Est autem mutatio, cum quid

§ *Nemes. c.* 41.

quid ex nihilo producitur, atque ex ſubjecta materia quidpiam aliud efficitur. Et quidem ea quæ anima carent, itemque bruta animantia juxta corporeos illos, quos memoravimus, modos immutantur: rationabilia autem, ratione electionis: nam facultas rationalis partim in contemplatione, partim in actione verſatur. Quæ in contemplatione conſiſtit, res ut ſe habent, conſiderat. Illa vero in actione poſita eſt, quæ conſultat, & rebus agendis rectam rationem præſcribit. Atqui partem illam quæ contemplationi vacat, mentem nuncupant; quæ vero actioni, rationem. Ac rurſus, illam ſapientiam, iſtam prudentiam appellant. Quocirca quiſquis conſultat, perinde conſultat, tanquam rerum agendarum penes ipſum poteſtas ſit, ut quod ex conſultatione melius viſum fuerit, hoc eligat; & cum elegerit, exſequatur. Quod cum ita ſit, arbitrii libertas rationi adnexa ſit neceſſe eſt. Aut enim rationalis non erit homo, aut ſi rationalis, actionum ſuarum Dominus erit. Unde etiam bruta arbitrii libertate carent. A natura enim aguntur magis,

quam agant: ac proinde nec naturali quidem appetitui repugnant, sed quamprimum aliquid appetiverint, in actionem ruunt. Homo contra, cum sit rationis particeps, naturam potius ducit, quam ab ea ducatur. Quo fit, ut etiam cum aliquid appetit, vel appetitum comprimere queat si velit, vel illi obsequi. Quod etiam in causa est cur bruta animantia nec laudentur, nec vituperentur; homo contra & laude afficiatur, & vituperio.

Sciendum est, Angelos, utpote ratione præditos, liberi arbitrii esse, ac qua ratione creati sunt, mutationi quoque obnoxios esse. Idque liquido monstravit Diabolus, qui, cum a Creatore bonus conditus esset, libera potestate mali inventor exstitit, virtutesque insuper illæ, quæ una cum ipso a Deo defecerunt, puta dæmones, cum reliqua Angelorum agmina in bono perstiterint.

De iis quæ in nostra potestate posita non sunt.

CAP. XXVIII.

EOrum autem, quæ in nostro arbitrio mi-

minime ſita ſunt, alia ex iis quæ arbitrii noſtri ſunt, originem ſeu cauſam habent, quales ſunt actionum noſtrarum retributiones, tum in præſenti, tum in futuro ævo: alia vero omnia ex Dei voluntate pendent. Etenim rerum omnium ortus a Deo eſt; at corruptio ob noſtram malitiam ad noſtram ſimul & utilitatem invecta fuit. † *Deus* quippe *mortem non fecit, nec delectatur in perditione viventium*: quin potius per hominem, id eſt per Adami tranſgreſſionem, mors, & reliqua item ſupplicia inflicta ſunt. Cætera autem omnia in Deum referri debent. Nam & ortus noſter ad creatricem ejus potentiam ſpectat; incolumitas, ad conſervatricem; gubernatio & ſalus, ad virtutem omnibus providendi; ipſa denique ſempiternorum ipſa bonorum poſſeſſio, quæ illos manet, qui id quod naturæ conſentaneum eſt, (cujus nempe cauſa conditi ſumus) ſartum tectumque cuſtodierint, ipſius bonitati adſcribenda eſt. Quoniam vero nonnulli Providentiam negant, age nunc de ea diſſeramus paucis.

De Providentia. CAP. XXIX.

PRovidentia itaque est procuratio, qua Deus fungitur erga res quæ sunt. Ac rursus: providentia est voluntas Dei, § per quam res omnes convenienti ratione regun-tur. Si autem Dei voluntas providentia est, omnia proculdubio quæ providentia fiunt, pulcherrime, diversissimeque fieri necesse est, atque ita ut meliori modo prorsus existere non possint. Eundem enim, & rerum effectorem, & provisorem esse oportet: quia non convenit, † nec consentaneum est, alterum rerum opificem esse, alterum qui his prospiciat. Sic quippe in imbecillitate uterque omnino versaretur: ille nimirum efficiendi, hic procurandi. Quocirca Deus est, & qui procreavit, & qui procurat: ejusque procreandi, & conservandi, & providendi potentia nihil aliud est, nisi bona ipsius voluntas. * *Omnia enim quæcunque voluit Dominus fecit in cælo & in terra:* ¶ nec voluntati ejus resistat, ullus est

§ *Nemes. c.* 43. † *Nemes. c.* 42.
* *Psal.* 134. *v.* 6. ¶ *Rom.* 6. *v.* 19.

est. Fieri omnia voluit, & facta sunt. Vult mundum consistere, & consistit, ac quidquid vult, efficitur.

Quod autem Deus rebus provideat, § idque perquam præclare ad hunc modum rectissime quispiam expenderit. Solus Deus natura bonus & sapiens est: qua igitur bonus, providet (neque enim bonus fuerit, qui non provideat. Nam & homines & bruta filiis suis naturali affectu prospiciunt; ac vituperatur, qui non prospicit) qua vero sapiens, optime res procurat.

Quamobrem hæc attente considerantes, omnia nos admirari oportet, omnia laudare, omnia citra curiosam inquisitionem comprobare, quamlibet plerisque iniqua videantur; eo quod videlicet, Dei providentia nec cognosci, nec comprehendi possit, quin cogitationes & actiones nostræ, futura quoque, ipsi soli nota sint. Omnia porro cum dico, de illis loquor quæ in nostra potestate non consistunt: nam quæ potestatis nostræ sunt, non providentiæ, sed libero arbitrio debent adscribi.

§ *Nemes. c.* 44.

Enim vero quæ providentiæ subsunt, partim ex beneplacito Dei fiunt, partim ex permissione. Beneplacito fiunt ea omnia, quæ citra controversiam bona sunt: permissionis vero multæ species sunt. † Sæpe etenim justum hominem in calamitates sinit incidere, ut latentem in eo virtutem aliis prodat; uti Job accidit. § Nonnunquam aliquid iniqui fieri permittit, ut per eam actionem, quæ iniquitatis speciem habet, magnum aliquid & mirandum patretur: sic per crucem hominibus salutem procuravit. Quin alio quoque modo virum pium gravibus incommodis affici patitur; ne a recta conscientia excidat, vel ob potestatem gratiamque divinitus sibi concessam in superbiam prolabatur: ¶ velut in Paulo contigit.

Quin ad alios erudiendos aliquantum quispiam deseritur, ut alii calamitosum ipsius statum intuentes, documentum inde capiant: " quemadmodum in Lazaro & divite. Sic enim natura comparati sumus, ut, cum aliquos afflictos cernimus, animum

† *Nemes. c.* 44. § *Job.* 1. *v.* 12. ¶ 2. *Cor.* 12. *v.* 7. " *Luc.* 16. *v.* 19.

mum ipsi contrahamus. Ad alterius etiam gloriam, & non ob sua vel parentum delicta aliquis deseritur: * ut ille cæcus a nativitate, ad gloriam Filii hominis. Sinitur insuper quispiam ad æmulationis studium in aliorum animis excitandum, grave aliquid perpeti; quo nimirum aucta ejus, qui perpessus est, gloria, alacriter alii adversa perferant, futuræ gloriæ spe, & futurorum bonorum desiderio adducti; ut in Martyribus evenit. Sinitur denique aliquis in obscœnum facinus interdum proruere, ut hac ratione gravius aliquod vitium depellatur. Exempli gratia: sit aliquis, cui virtutes suæ & recte facta animos attollant: sinit hunc Deus in fornicationem incidere, ut per hujusmodi lapsum imbecillitatem suam agnoscens, deprimatur, accedensque confiteatur Domino.

Illud autem nosse oportet, rerum agendarum electionem quidem in nobis sitam esse, probarum vero actionum finem Dei auxilio adscribendum, secundum, præscientiam suam opem juste feren-

tis

* Joan. 7. v. 3.

tis illis, † qui recta conscientia bonum amplectuntur: malarum contra Dei derelictioni, malum hominem secundum præscientiam suam juste deserentis.

Desertionis porro duæ species sunt. Est enim desertio ex certa dispensatione, quæ ad eruditionem nostram vergit. Est rursus alia ex omnimoda reprobatione proficiscens. Quæ certa dispensatione fit, ea est, quæ ad ejus qui patitur, emendationem, salutemque, & gloriam, aut etiam ad alios æmulationis studio excitandos, aut denique ad gloriam Dei confert. Omnimoda autem desertio accidit, cum, nullo remedii genere prætermisso a Deo, stupidus tamen & incuratus propria animi destinatione remanet homo, vel, ut melius loquar, insanabilis; § tuncque extremo exitio traditur, veluti Judas. Propitius sit nobis Deus, & ab ejusmodi nos desertione custodiat.

Sciendum autem est, complures esse divinæ providentiæ modos, qui nec verbis ex-

† *Nemes. c.* 37. 40. *De his vid. p.* 199. *ann.* 2. § *Matth.* 26. *v.* 27.

explicari, nec mente comprehendi possunt.

Ne illud quidem ignorandum, omnes rerum acerbarum impetus, ad salutem eorum qui cum gratiarum actione ipsos excipiunt invehi, ingentemque ipsis utilitatem afferre.

Hoc itidem nosse oportet, Deum primaria & antecedente voluntate velle omnes salvos esse, & regni sui compotes fieri. § Non enim nos ut puniret, condidit; sed quia bonus est, ad hoc ut bonitatis suæ participes essemus. Peccantes porro puniri vult, quia justus est.

Itaque prima illa voluntas, antecedens dicitur & beneplacitum, cujus ipse causa sit: secunda autem, consequens voluntas & permissio, ex nostra causa ortum habens; eaque duplex: altera dispensatione quadam fit & ad salutem erudit; altera a reprobatione proficiscitur, ad absolutam, ut diximus, pœnam pertinens. Atque hæc in illis quæ in nostra potestate non sunt.

Eorum vero quæ in nobis sita sunt, bona

§ 1. *Tim.* 2, *v.* 4.

na quidem primario Deus vult, & secundum beneplacitum; mala autem quæ revera mala sunt, neque primario, neque consequenter vult, sed libero arbitrio permittit. Nam quod vi efficitur, nec rationi convenit, nec virtutis nomen obtinere potest. Deus creatis omnibus providet, & per omnia creata, ut & ipsa plerumque dæmonum opera (§ velut in Job, & poteis liquet) beneficiis afficiat & erudiat.

Math. 8. v. 10.

De Præscientia & prædestinatione. CAP. XXX.

ILlud scire interest, Deum omnia quidem præscire, sed non omnia præfinire. Præscit enim ea quæ in nostra potestate sunt: § at non item ea præfinit. Nec etiam malitiam patrari vult; nec rursus virtuti vim affert. Quocirca divina jussio cum præscientia conjuncta præfinitionem efficit. Deus porro ea quæ nostri arbitrii non sunt, prosua præscientia præfinit. Etenim juxta ipsam, omnia

§ *Christ. hom. 12. in epist. ad Ep. Alt. S. Max.*

omnia jam pro eo atque bonitatem & justitiam suam decet, ante definivit.

Illud quoque sciendum, virtutem naturæ nostræ divinitus inditam esse, Deumque ipsum omnis boni fontem & auctorem esse; † ut citra ipsius opem & auxilium bonum velle nec facere possimus: cæterum nobis liberum esse in virtute persistere, Deumque ad eam vocantem sequi, vel a virtute abscedere, h. e. in vitio hærere, ac diabolum, qui nulla vi injecta ad illud nos vocat, ducem sequi. Neque enim vitium aliud quidquam est, nisi recessus a bono, veluti tenebræ, recessus a luce. Ac proinde in statu naturæ consentaneo manentes, in virtute sumus: ab eo autem statu, hoc est a virtute deflectentes, in id quod naturæ repugnat, vitiumque labimur.

Pœnitentia est ab eo quod naturæ adversatur, ad id quod ipsi conveniens est, atque a diabolo ad Deum, per piæ vitæ studium, laboresque regressio.

Hunc itaque hominem summus ille opifex masculum condidit, divinam ei gratiam

† Just. lib. 3. c. 14.

tiam suam impertiens, seque per eam ipsi communicans: quo factum est, ut in morem Prophetæ, animantibus, veluti mancipiis sibi datis, herili quadam auctoritate, nomina imposuerit. Nam cum ad imaginem Dei conditus esset, ut ratione, intelligentia, & arbitrii libertate polleret, merito proinde ipsi rerum omnium terrenarum principatus a communi omnium opifice & Domino concreditus est.

Quoniam autem Deus præscientia suam noverat, fore, ut ille impositam sibi legem violaret, atque in corruptionem laberetur; ideirco fœminam ipsi similem, adjutricemque ex ipso procreavit: adjutricem, inquam, ad genus humanum per generationem ex successione conservaretur. Etenim prima formatio factura dicitur, non generatio. Factura enim est prima ea, quæ Deo auctore exstitit, hominis formatio. Generatio autem, successio est, qua ob mortis sententiam alii ex aliis propagamur.

§ Hunc porro Deus in paradiso tam spirituali, quam corporeo collocarat siquidem in cor-

§ *Nyss. de opif. c.* 20.

corporeo, qui in terra erat, quantum ad corpus degens, ſpiritaliter cum Angelis verſabatur, divinas cogitationes excolens, quibus alebatur: nudus ob ſimplicitatem, vitamque minime fucatam, atque ad ſolum creatorem per res ab eo conditas aſſurgens, ipſius contemplationis voluptate jucundiſſime fruebatur.

Quoniam itaque Deus eum, quantum ad naturam ita exornaverat, ut libera voluntate præditus eſſet, hanc ei legem ſanxit, ne de ſcientiæ ligno guſtaret. De quo quidem ligno in capite de Paradiſo pro modulo noſtro ſatis diximus. Hoc porro mandatum ei præſcribendo pollicitus eſt fore, ut ſi animæ dignitatem ita cuſtodiſſet, ut victoriam rationi conciliaret, & agnito creatore: præceptum ejus obſervaret, æterna beatitudine frueretur, morteque ſuperior evadens, in omne ævum viveret: ſin autem honorem ſuum minus intelligens, * ac jumentis inſipientibus comparatus, excuſſo conditoris jugo, ſanctiſſimoque ipſius edicto neglecto, animum corpori ſubderet,

* *Pſal.* 48. *v.* 13.

corporisque voluptates potiores haberet, morti & corruptioni fieret obnoxius, miseramque vitam trahens, laborandi necessitati subjiceretur. † Neque enim illi tentato nondum, nec explorato immortalitem adipisci conducebat, ne in superbiam, inque diaboli judicium incideret. Nam immortalitas, qua ille præditus erat, effecit, ut postquam libera voluntate lapsus est, immutabilem deinceps, & pœnitentiæ expertem in malo firmitatem habuerit; quemadmodum rursus Angeli post voluntariam virtutis electione mdivina gratia in bono ita fixi stabilitique sunt, ut ab eo nullatenus jam dimoveri queant.

Opus erat igitur ut homo primum exploraretur, quia vir non probatus, nec tentatus, § nullius pretii est; suoque experimento per præcepti observationem perfectus evadens, sic demum pro virtutis præmio immortalitatem consequeretur. Nam cum Deum inter, materiamque media quadam ratione constitutus esset, ita comparatus erat, ut, si quidem mandato paruisset, re-

licta

† 2. Tim. 3. v. 6. § Eccl. 34. v. 11.

licta naturali ſua erga res creatas neceſſitudine, Deo archiſſima affectione copulatus, immobilem in bono firmitatem acceperus eſſet: ſin autem, divina lege violata, in res materiæ immerſas prolapſus, mentem a Deo auctore ſuo abſtraxiſſet, corruptionem ſibi accerſeret, factuſque pro impaſſibili paſibilis, & pro immortali mortalis, coniugio fluxaque generatione opus haberet, quo fieret, ut ob vitæ deſiderium, delectabilia quidem, velut eam tuentia amplexaretur, eos vero qui hæc ſibi eripere ſtuderent, pertinaci odio haberet; atque ita deſiderium a Deo ad materiam, & iram ab eo qui ſalutis noſtræ hoſtis eſt, ad congeneres ſuos transferret. Victus itaque homo eſt invidentia diaboli, qui, quo livore atque erga bonum odio percitus erat, nos ſupernis bonis frui non ferebat; cum ipſe ad ima propter ſuperbiam corruiſſet. Quapropter iniecta ſpe divinitatis, miſerum Adamum mendax illexit, ſubvectumque ad arrogantiæ ſuæ cacumen, in eandem ruinæ voraginem deturbavit.

LI-

LIBER TERTIUS.

De divina dispensatione, nostrique solicitudine, & de nostra salute. CAP. I.

HOC itaque Dæmonis malorum auctoris assultu deceptum hominem, violatique conditoris præcepti reum, & gratia nudatum, † qui exuta qua pollebat apud Deum fiducia, erumnosæ vitæ asperitate, § quam folia ficus significant, obvolutus fuerat, & mortalitatis carnisque crassitie coopertus, ut mortuarum pellium vestitu designatum fuit: qui demum justo Dei judicio e paradiso exterminatus, inflicta morte corruptioni factus fuerat obnoxius, hunc nequaquam aspernatus est, misericors ille, qui ei, tum ut esset, tum ut bene esse largitus erat: verum cum multis ante modis castigatum ad meliorem frugem vocasset; ¶ per genitum scilicet, ‡ & tremorem, ‖ per aquarum illuviem, ac totius ferme ge-

ne-

† *Greg. Naz. or.* 38. & 12. § *Gen.* 3. *v.* 7. ¶ *Gen.* 4. *v.* 14. ‡ *Gen.* 6. *v.* 13. ‖ *Gen.* 11. *v.* 7.

neris humani interitum, § per linguarum confusionem ac divisionem, per Angelorum præfecturam, per civitatum conflagrationem, per typicos apparentis Dei prospectus, per bella, victorias, clades, signa, & portenta, variasque virtutes, per legem & Prophetas; per quæ omnia id agebatur, ut peccato, quod varie serpendo, hominem mancipaverat, nullumque non mali genus mundo invexerat, † e medio sublato, homini ad beatam vitam reditus pateret: quoniam mors per peccatum introierat in mundum, feræ cujusdam instar immanisque bellua, hominis vitam infestans, oportebat vero eum, qui Redemtoris munere fungeturus erat, a peccato prorsus alienum esse, nec peccati causa obnoxium morti; insuper roborari instaurarique naturam, & opere ipso eruditi, edocerique virtutis viam, quæ eum ab interitu revocando, ad æternam vitam duceret, sic itaque tandem ingens suæ erga ipsum benevolentiæ pelagus ostendit. Ipse enim Conditor ac Dominus pro fu-

§ *Gen.* 18. *v.* 2. *&* 19. *v.* 14. † *Sap.* 2. *v.* 24.

figmento suo luctam suscipit, ipsoque magistrum agit opere. Ac quoniam hostis ipse divinitatis hominem pellexerat, ipse vicissim objecta carne velut esca capitur: simulque divinæ, cum bonitatis & sapientiæ, tum justitiæ & potentiæ specimen editur. Nam bonitas quidem hinc elucet, quod figmenti sui imbecillitatem non despexit, sed lapsi vicem doluit, † eique manum porrexit: justicia item, quod victo homine, non per alium tyranno victoriam extorquet, nec vi hominem a morte eripit; sed quem mors olim propter peccatum servituti suæ addixerat, hunc bonus ille justusque victorem rursum fecit; quodque nulla arte fieri posse videbatur, simile simili opera liberavit: sapientia denique, quod rei perquam difficili congruentissimum exitum invenit. * Etenim Dei ac Patris benevolentia, unigenitus Filius ac Deus, qui in Dei & Patris sinu erat; ille, inquam, ejusdem ac Pater sanctusque Spiritus substantiæ: ille omni ævo antiquior, ille principio carens. qui-

† *Greg. Nyss. orat. Catech. c. 20. & seqq.*
* *Joan. 1. v. 18.*

† quique in principio erat, & apud Deum & Patrem, ac Deus erat; ille demum, qui in forma Dei erat, inclinans cœlos descendit: hoc est sublimitatem suam, in quam nulla cadat abjectio, nulla depressione deprimens, in servorum suorum usum se inclinat, ejusmodi plane inclinatione, quæ nec verbis exprimi, nec mente comprehendi queat (id enim descensus vocabulo significatur) quique Deus perfectus erat, ¶ perfectus homo fit, novorum omnium maxime novum, imo quod unum sub Sole novum est, infinitamque Dei potentiam declarat. Quid enim majus, quam Deum hominem fieri? Quocirca Verbum caro absque ulla mutatione de Spiritu sancto, * & sancta Maria semper virgine Deique Genitrice factum est: Deique & hominum mediator exsistit, solus ille in homines benignissimus, non ex voluntate, aut concupiscentia, aut congressu viri, aut generatione cum voluptate conjuncta, in intemerato virginis utero conceptus, sed de

† *Phil.* 2. *v.* 6. ¶ *Eccl.* 1. *v.* 10.

* *Athan. de salut. adv. Christi.*

Spiritu facto ac prima illa Adami productione, fitque Patri obediens, ut per id quod simile nobis ex nobis assumsit, inobedientiæ nostræ medicinam, nobisque obedientiæ, sine qua obtineri salus non potest, exemplar sese præbeat.

Quomodo conceptum sit Verbum, & de divina ejus incarnatione. CAP. II.

Missus est enim Angelus Domini ad sanctam Mariam virginem, ex Davidicó genere oriundam. (*Manifestum est enim quod ex Juda ortus sit Dominus noster, ex qua Tribu nullus altari præsto fuit*). Quemadmodum Divinus Apostolus tradidit; de qua re accuratius postea disseremus. Cui etiam lætum ferens nuntium dixit: ¶ *Ave gratia plena, Dominus tecum.* Quæ cum audisset, turbata est in sermone; aitque Angelus ei. * *Ne timeas Maria, invenisti gratiam apud Dominum; parieſque filium, & vocabis nomen ejus, Jesum. Ipse enim sal-*

¶ *Luc.* 1. *v.* 26. † *Hebr.* 7. *v.* 14.
* *Matth.* 1. *v.* 21.

salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Unde etiam Jesus, *salvatorem*, sonat. Hæc porro cum anxie quæreret, *Quomodo fiet mihi istud, quoniam virum non cognosco?* rursum his eam verbis allocutus est Angelus: *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*. Actum ipsa ad eum: *Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundum verbum tuum*.

Quocirca ubi primum sancta Virgo assensa est, in eam juxta Domini sermonem, † cujus nuntius Angelus fuerat. Spiritus sanctus supervenit, qui purgavit eam, vimque ei, tum ad suscipiendam Verbi Deitatem, tum ad gignendum suppeditavit. Tunc porro in eam obumbravit subsistens vere Dei Altissimi sapientia & virtus; Dei Filius, inquam, ille consubstantialis Patri, divini seminis instar, exque castis purissimisque illius sanguinibus carnem anima rationali & intelligente animatam, conspersionis

† *Greg. Naz. orat.* 28. *&* 32. § *Basil. in Christ. Nativ.*

ſcilicet noſtræ primitias, ipſe ſibi compegit; non id quidem ſeminali procreatione, ſed conditoris more, per Spiritum ſanctum; non ut paulatim per additamenta figura corporis abſolveretur, ſed uno eodemque momento perficeretur ab ipſo Dei Verbo; quod carni factum fuit hypoſtaſis & perſona. * Neque enim Verbum carni in propria perſona jam ſeorſim exſtanti, unitum eſt; ſed in ſanctæ Virginis utero, nulla circumſcriptione in ſua ipſe perſona immorans, ex caſtis ipſius perpetuæ Virginis ſanguinibus, carnem anima rationali & intelligente præditam ſubſtare fecit, humanæ conſperſionis primitias aſſumens, Verbum ipſum carni factum hypoſtaſis. § Quamobrem ſimul atque caro exſtitit, ſimul quoque Dei Verbi exſtitit caro, ¶ ſimul caro animata, rationis particeps & intelligentiæ. Quo fit, ut non hominem Deitate donatum, ſed Deum hominem factum dicamus. Nam cum natura Deus perfectus es-

* *Cyrill. Apolog.* 5. & 8. *Anathem.* § *Id epiſt. ad Monach. Tom.* 6. *p.* 13. ¶ *Procl. ep.* 2. *ad Arm.*

eſſet, idem ipſe natura perfectus homo fuit: & quidem ita ut, nec mutatus natura fuerit, nec imaginariam incarnationis ſpeciem objecerit; ſed carni, quam ex ſancta Virgine accepit, anima rationali intelligenteque animatæ, inque ipſo exiſtentiam nactæ, perſonali modo abſque confuſione, aut mutatione, aut diviſione unitus ſit; quin nec Deitatis ſuæ naturam in carnis ſuæ ſubſtantiam, nec rurſus carnis ſuæ ſubſtantiam in Deitatis naturam converterit, nec denique ex divina ſua natura, & humana quam aſſumſit, naturam unam compoſitam effecerit.

De duabus naturis, adverſus Monophyſitas.

CAP. III.

ENimvero ſine converſione ac mutatione unitæ mutuo naturæ ſunt, ſic videlicet ut nec a ſua ſimplicitate, divina natura deſciverit; nec rurſus humana, aut in Deitatis naturam converſa, aut in nihilum redacta, aut denique una ex duabus naturis compoſita natura effecta ſit. Siquidem com-

compoſita natura, cum neutra illarum naturarum, ex quibus conflata eſt, conſubſtantialis eſſe poteſt; ut quæ ex aliis aliud facta ſit. Exempli gratia: corpus, quod ex quatuor elementis conſtat, nec ejuſdem eſſe cum igne ſubſtantiæ dicitur, nec ignis appellatur, nec aer vocatur, nec aqua, nec terra, nec eandem cum ullo horum ſubſtantiam habet. † Quocirca, ſi poſt unionem Chriſtus, ut hæreticis placet, unius compoſitæ naturæ exſiſtit, ex ſimplici natura in compoſitam verſus eſt. Ita nec Patri, cujus ſimplex natura eſt, conſubſtantialis erit, nec matri, quippe quæ ex deitate & humanitate compoſita non eſt; nec item in deitate & humanitate erit, nec Deus nuncupabitur, nec homo, ſed Chriſtus duntaxat: eritque Chriſti vocabulum, non perſonæ ipſius nomen, ſed unius, ut illi cenſent, naturæ.

§ Nos vero Chriſtum haudquaquam unius compoſitæ naturæ eſſe prædicamus, neque ex aliis aliud, quemadmodum ex anima & cor-

† *Max. ep. ad Joan. exhib. p.* 279. § *Id ibid. p.* 286.

corpore hominem, aut ex quatuor elementis, corpus, verum ex diversis eadem. Siquidem ex deitate & humanitate eundem Deum perfectum, & hominem perfectum, & esse, & dici, atque ex duabus, & in duabus naturis esse confitemur. Christi porro vocabulum personæ esse dicimus, quod non unimode dicitur, sed duplicem naturam significat. Ipse siquidem seipsum unxit, corpus videlicet suum divinitate sua ungendo, tanquam Deus, unctus autem, ut homo; quandoquidem ipse, & hoc, & illud est. Unctio porro humanitatis est divinitas. † Enimvero si Christus una tantum composita natura præditus, Patri consubstantialis est, erit & Pater compositus, & carni consubstantialis; quod dictu absurdum est, & omni impietate plenum.

Ad hæc, quonam pacto una eademque natura substantialium differentiarum mutuo pugnantium capax erit? Qui enim fieri potest, ut eadem natura simul, & creata sit, & increata; mortalis, & immortalis; circumscripta, & incircumscripta?

Quod

† *Eulog. ap. Max. To. 2. p.* 145.

Quod si etiam Christum naturæ unius esse dicentes, simplicem hanc esse asserant, aut nudum illum Deum confitebuntur, proque incarnatione meram speciem inducent, aut certe veluti Nestorius, hominem purum. Ubinam ergo illud erit, *in Deitate perfectam, & in humanitate perfectum?* Ecquando Christum duarum esse naturarum dicent, quem post unitionem unius tantummodo compositæ naturæ esse pronuntiant? Nam quod unius ante unitionem fuerit, cuivis profecto perspicuum est.

Verum hoc demum est quod est quod hæreticis errandi causa est, quod naturam & hypostasim esse idem statuant. Etsi vero unam hominum esse naturam dictitamus, § at non anima & corpore spectatis; cum fieri non possit, * ut corpus & animam simul comparando unius ea esse naturæ affirmemus: sed quia plurimæ hominum hypostases & personæ sunt, eandem omnes rationem naturæ recipiunt. Omnes quippe corpore & anima constant, omnesque, cum ani-

§ *Anast. Sinaita in* ὁδηγῷ, *c.* 9. * *Leontius contra Nest. & Eut.*

animæ naturam participant, tum corporis ſubſtantiam habent, communemque ſpeciem. Quo fit ut plurimarum diverſarumque perſonarum unam naturam dicamus, cum videlicet ſingulæ perſonæ duplicem naturam habeant, & in duabus naturis, corporis ſcilicet & animæ, exſtare cenſeantur.

§ At vero in Domino noſtro Jeſu Chriſto non poteſt accipi communis ſpecies. † Neque enim fuit, nec eſt, nec unquam erit alius Chriſtus ex Deitate & humanitate, inque Deitate & humanitate idem perfectus Deus, & perfectus homo. Hinc fit, ut in Domino noſtro Jeſu Chriſto natura una dicenda non ſit, ut eodem modo de Chriſto qui ex Deitate & humanitate compoſitus eſt, loquamur, veluti de individuo quod corpore & anima conſtat. Illic ſiquidem individuum eſt; at Chriſtus nequaquam eſt individuum: neque enim Chriſtitatis, ut ita dicam, ſpeciem ejuſmodi habet, de qua prædicetur. Ac proinde ex duabus naturis perfectis, h. e. divina & humana, unio-

§ *Leontius cont. Sev. & Eutych.* † *Max. loc. cit. p.* 277.

unionem esse factam dicimus, non ad modum conspersionis, nec per confusionem, vel commixtionem, aut temperationem; quemadmodum ille numinis ira immissus Dioscorus, Eutyches item, & Severus; quique impiæ eorum classis sunt, asseruerunt: nec personalem, aut secundum relationem, aut in ratione dignitatis, aut in una voluntatis conspiratione, aut honoris aut nominis æqualitate, aut eadem ac promiscua nuncupatione, aut benevolentia positam, ut Deo invisus Nestorius, Diodorusque, & Mopsuestiensis Theodorus, cum diabolica sua caterva censuerunt: sed per compositionem, hoc est, secundum hypostasim, sine ulla conversione, nec confusione, nec mutatione, nec divisione, nec distantia, § inque duabus perfectis naturis unam Filii Dei & incarnati personam confitemur; unam dicentes divinitatis ipsius & humanitatis hypostasim, duas autem post unitionem naturas in ipso incolumes servari confitentes: non ita tamen ut utramque harum seorsim ponamus, verum in una com-

§ *Procl. ep. 2. ad Arm.*

compoſita perſona inter ſe copulatas. Subſtantialem enim eſſe hanc unionem dicimus, hoc eſt, veram & non imaginariam. † Subſtantialem autem, non quod duæ naturæ unam compoſitam naturam effecerint; * ſed quod in unam Filii Dei compoſitam hypoſtaſim inter ſe unitæ ſint. Quinimo ſubſtantialem earum differentiam integram & incolumem ſervari ſtatuimus. Nam creatum manſit quod creatum eſt, & increatum, quod increatum; quod mortale eſt, mortale permanſit, & immortale quod immortale; circumſcriptum, quod circumſcriptum; incircumſcriptum, quod incircumſcriptum; viſibile, quod viſibile; & inviſibile, quod inviſibile: § *unum quidem horum coruſcat miraculis, aliud ſucumbit injuriis.*

Verbum porro, quia ipſius ſunt, quæ ſanctæ ejus carnis ſunt, ea quæ humanitati conveniunt, ſibi vendicat, & viciſſim carni, quæ ſua ſunt, impertit; illo nimirum alternæ communicationis modo, ob mutuam inter ſe partium commeationem, unionem

O

† *Greg. Naz. Tom. 4.* * *Videſis ad c. 65. Dialect.* § *Leo papa epiſt. 10. c. 4.*

unionemve hypostaticam, & quia unus idemque erat, qui & divina & humana, * *in utraque forma cum alterius communione ageret*. § Eo porro nomine Dominus ipse gloriæ crucifixus dicitur, quamvis alioqui divina ipsius natura minime passa sit: ¶ & rursum, Filius hominis ante passionem in cœlo esse dictus est, veluti Dominus ipse asseruit. Erat enim ille idem Dominus gloriæ, qui etiam natura & vere Filius hominis, h. e. homo existebat. Atqui ipsius tum miracula, tum supplicia esse agnoscimus, etsi ratione alterius naturæ miracula edebat, & alterius ratione idem ipse supplicia perferebat. Scimus enim, ut unam ipsius hypostasim, ita substantialem harum differentiam incolumem servari. Quo autem pacto salva erit differentia, non servatis illis quæ mutuo discrepant. Differentia siquidem est earum rerum quæ diversæ sunt. Qua igitur ratione Christi naturæ inter se differunt, hoc est essentiæ ratione, hac cum extremis conjungi dicimus, puta quantum ad

* *Leo ibid.* § *Cor.* 2. *v.* 8. ¶ *Joan.* 3. *v.* 13.

ad Deitatem quidem attinet, cum Patre & Spiritu ſancto, quantum vero ad humanitatem, cum matre, & nobis. Idem quippe quoad divinitatem Patri & Spiritui ſancto conſubſtantialis eſt; quoad vero humanitatem, tum matri, tum cæteris hominibus. Qua ratione vero ejus naturæ mutuo copulantur, eum, tum a Patre & Spiritu ſancto, tum a matre & reliquis hominibus differre dicimus. Ipſius enim naturæ per hypoſtaſim copulantur, ut quæ unam compoſitam hypoſtaſim habeant, cujus ratione tum a Patre & Spiritu ſancto, tum a matre & nobis differt.

De modo mutuæ communicationis proprietatum. CAP. IV.

QUod porro aliud ſit ſubſtantia, & aliud hypoſtaſis, multoties a nobis dictum eſt: quodque, ſubſtantia ſive eſſentia, communem ſpeciem, ejuſdemque ſpeciei perſonas complectentem ſignificet, ut Deus, homo; perſona autem ac hypoſtaſis individuum denotet, puta Patrem, Filium, &

Spiritum sanctum, Petrum, Paulum. Quamobrem observandum est, quod divinitatis & humanitatis nomen, substantias sive naturas significat: at nomen Deus ac homo, tum de natura usurpatur, ut cum dicimus Deus est substantia incomprehensa, &, unus est Deus; tum etiam de personis, quatenus illud quod particularius est, ejus nomen suscipit quod est generalius, ut cum Scriptura dicit: † *Propterea unxit te Deus, Deus tuus*. Vides enim hic Patrem & Filium designari. Et rursus cum ait: § *Homo quidam erat in terra Ausitide*: solum enim Job indicare voluit.

Ergo in Domino nostro Jesu Christo, quoniam duas quidem naturas, at unam duntaxat personam ex utraque compositam agnoscimus, cum naturas consideramus, divinitatem & humanitatem appellamus; cum vero personam ex naturis compositam, interdum ab utroque Christum nominamus, Deumque simul & hominem, & Deum incarnatum; interdum rursus ab una parte Deum solum, & Dei Filium, hominem-

que

† *Psal.* 44. *v.* 8. § *Job.* 1. *v.* 1.

que ſolum, atque hominis filium; ac rurſus aliquando, a ſublimibus duntaxat, aliquando item ab humilibus tantum. † Unus enim eſt, qui & hoc & illud peræque eſt, quorum alterum ex Patre nullius cauſa ſemper exſtitit, alterum autem poſtea pro ſua erga homines benevolentia factus eſt.

Divinitatem itaque nominantes, ea quæ humanitati propria ſunt, ipſi minime aſſignamus. Non enim paſſibilem aut creatam Deitatem dicimus. Nec rurſus carni, ſive humanitati, ea tribuimus quæ Deitati proprie conveniunt. Neque enim carnem, ſive humanitatem, increatam dicimus. At vero cum de perſona ſermo eſt, ſive ad utraque parte ſimul, ſive ab altera tantum eam appellemus, utriuſque naturæ proprietates, ipſi imponimus. Etenim Chriſtus (quæ vox utrumque complectitur) & Deus & homo dicitur, & creatus & increatus, & paſſibilis & impaſſibilis. Cum jam ab una parte Filius Dei, & Deus nuncupatur, conjunctæ ac una ſubſiſtentis naturæ, hoc eſt carnis, proprietates recipit, ut & Deus paſſibilis nominetur, & Dominus gloriæ crucifixus dicatur: non qua

Deus

Deus est, sed qua idem ipse simul est homo. Eodemque modo, cum homo & filius hominis appellatur, divinæ essentiæ proprietates & ornamenta suscipit. Puer enim omni ævo antiquior dicitur, & homo initii expers: non id quidem qua ratione puer & homo est, sed qua Deus seculis anteriot cum esset, ad extremum factus est puer. Atque hic est jam alternæ communicationis modus, dum unaquæque natura, ea quæ sibi propria sunt; alteri communicat, propterea quod eadem est hypostasis, & ob mutuam earum immeationem. Qua ratione de Christo dicere nobis licet: † *Hic Deus noster in terra visus est, & cum hominibus conversatus est*. Et, hic homo increatus est, & impassibilis, & incircumscriptus.

§ *Bar.* 3. *v.* 38.

De numero naturarum. CAP. V.

COeterum, veluti unam in Divinitate naturam confitemur, tres autem personas vere exsistentes dicimus; atque ea quidem

† *Leont. in resp. ad argum. Sever.*

dem omnia quæ naturalia essentialiaque sunt, esse simplicia pronunciamus, personarum vero discrimen in solis tribus proprietatibus, scilicet quod unus sine causa sit & Pater, alter a causa & Filius, alter item a causa & procedens, esse positum agnoscimus, ut ab invicem nec excedere, nec disjungi queant; quinimo inter se unitæ sint, aliæque alias citra confusionem pervadant: ut, inquam, eas quidem nulla confusione unitas, quoniam tres sunt, tametsi unitæ; verum & absque sejunctione discretas, (quamquam enim quælibet illarum per se subsistit, sive perfecta hypostasis est, suamque proprietatem, hoc est existentiæ modum disparem habet; at essentiæ tamen, naturaliumque proprietatum ratione conjunguntur, & eo quod a persona Patris non divelluntur, nec excedunt, idcirco Deus unus, & sunt, & dicuntur) consimili modo in divina & arcana, † omnemque mentis aciem & captum exsuperante Dei Verbi & Domini nostri Jesu Christi, unius sanctæ Trinitatis hypostasis incarnatione, duas quidem

† *Id. ibid.*

dem naturas, divinam scilicet & humanam, una coivisse, & secundum hypostasim unitas esse confitemur, ut una hypostasis & persona ex naturis duabus composita facta fuerit. Integras porro, etiam post unitionem, naturas ambas in una composita persona, hoc est in uno Christo, servari dicimus, easque vere esse cum naturalibus ipsarum proprietatibus: quia nimirum citra confusionem unitæ sunt, & rursus citra divisionem distinguuntur & numerantur. † Et quemadmodum tres sanctæ Trinitatis personæ, § ita sine confusione unitæ sunt, ut tamen sine divisione distinguantur & numerentur; quia nempe numerus nec divisionem, nec disjunctionem, nec alienationem, nec sectionem in ipsis facit (unum quippe Deum, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum novimus) ita quoque Christi naturæ, quamvis invicem unitæ sint, ceterum nulla confusione; & quamlibet aliæ alias permeent, non tamen conversionem & transmutationem alterius in alteram ad-

† *Infr. cap.* 7. § *Basil. epist.* 43. & *lib. de Spir. sanct. cap.* 17.

admittunt. Utraque enim naturalem proprietatem ſuam immotam tuetur. Hinc quoque fit ut numerentur, nec tamen numerus diviſionem inducat. Unus ſiquidem Chriſtus eſt, tam in divinitate, quam in humanitate perfectus. Neque enim numeri ea natura eſt, ut diviſionem aut unionem afferrat, ſed quantitatem duntaxat earum rerum quæ in numerum cadunt, ſignificat, ſive illæ unitæ ſint, ſive diviſæ: unitæ quidem, ut quod quinquaginta lapidibus hic paries conſtet; diviſæ autem, ut quod quinquaginta lapides in campo jaceant: ac rurſum unitæ, ut quod in carbone duæ naturæ ſint, ignis nimirum & ligni; diſcretæ vero, quod alia ignis natura ſit, alia ligni; alio nempe modo hæc copulante, & dividente, non autem numero. Quemadmodum igitur fieri nequit, ut tres divinitatis perſonas, tametſi inter ſe junctæ ſunt, unam perſonam dicamus, ne alioqui perſonarum diſcrimen confundamus & e medio tollamus, ita nec fieri poteſt, ut duas Chriſti naturas ſecundum hypoſtaſim unitas unam naturam dicamus, ne diſcrimen earum tol-

lamus & confundamus, atque ad nihilum redigamus.

Quod tota divinæ naturæ in una juarum personarum toti humanæ naturæ unita sit, & non pars parti. CAP. VI.

QUæ communia & universalia sunt, de particularibus sibi subjectis prædicantur. Commune porro quoddam est essentia, ut species; particulare, persona. Particulare, inquam, non quod naturæ partem quandam sibi vendicet, sed quia numero particulare est, ut individuum. Personæ siquidem non natura, sed numero inter se distingui dicuntur. Prædicatur itaque essentia de persona; quoniam in singulis speciei ejusdem personis perfecta est essentia. Quo fit ut personæ inter se non differant, ratione essentiæ, sed accidentium: quæ quidem sunt propriæ & certæ notæ quibus sigillatur hypostasis, non natura. Hypostasis enim definitur, essentia cum accidentibus. Quocirca hypostasis est illud quod habet id quod commune est cum pro-

pria

pria ſua nota, & inſuper ut per ſeſe exſiſtat. Eſſentia quippe per ſe non ſubſiſtit, ſed in perſonis conſideratur. Idcirco cum una ex perſonis patitur; tota eſſentia, ratione cujus hypoſtaſis hæc patitur, paſſa quoque dicitur in una ſuarum hypoſtaſium: ut tamen non ſequatur, perſonas omnes, quæ ejuſdem ſpeciei ſunt, una cum perſona patiente pati.

Ad hunc itaque modum divinitatis naturam totam in quavis perſonarum ſuarum perfecte eſſe, totam in Patre, totam in Filio, totam in Spiritu ſancto confitemur: ob idque & Pater perfectus Deus eſt, & Filius perfectus Deus, & Spiritus ſanctus perfectus Deus. Conſimili etiam ratione in incarnatione unius ex ſanctæ Trinitatis perſonis Dei Verbi, totam & integram divinitatis naturam in una ſuarum perſonarum, cum tota natura humana unitam fuiſſe dicimus, ac non partem cum parte. Ait quippe divinus Apoſtolus: † *In ipſo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*. hoc eſt in ipſius carne; § & deifer ejus diſcipulus Dionyſius, ingenti divinarum rerum cognitione

† Col. 2. v. 9. § Dion. de div. nom. c. 2.

tione insignis, eam totam in una suarum per- sonarum nobiscum commercium habuisse ait. Nec propterea tamen eo adducemur, ut fateamur omnes sanctæ Trinitatis personas, sive tres, cum omnibus humanæ naturæ personis, secundum hypostasim unitas fuisse. Nam nec Pater, nec Spiritus sanctus ulla omnino ratione incarnationi Dei Verbi communicarunt, nisi benignissima voluntate. Verum toti humanæ naturæ totam Deitatis substantiam unitam fuisse asserimus. Neque enim Deus Verbum quidquam eorum, quæ cum nos initio rerum fingeret, § naturæ nostræ inseruit, non assumtum omisit: * sed omnia assumsit, puta corpus & animam intelligentem rationabilemque, ¶ cum eorum proprietatibus. Animal enim, quod alterutrius est expers, ne quidem homo est. Totum quippe me totus assumsit, ac totus toti unitus est, ut toti salutem afferret. Nam alioqui non potuit sanari, quod assumtum non fuit.

Er-

§ *Athan. d. salut. adv. Christ.* * *Greg. Naz. ep.* 1. *ad Cled. & or.* 1. ¶ *Cyrill. in cap.* 8. *Joan.*

Ergo Dei Verbum per intermediam mentem carni unitum est, § interjectam scilicet inter Dei puritatem & carnis crassitiem. † Mens etenim corporis & animæ principatum gerit, quin ipsa pars est animæ purissima: at mentis quoque principatum tenet Deus; cæterum Christi mens, ubi a præstantiori sinitur, principatus sui præbet argumenta. Verum superatur, obsequiturque illi quod præstantius est, ea agens, quæ divina voluntas concedit ut agat.

Porro mens unitæ sibi secundum hypostasim Deitatis sedes, facta est, velut nimirum & caro, non contubernalis, * quemadmodum impie fingitur ab hæreticis, cum ajunt, unus modius non capit duos, de rebus a materia remotis ad instar corporum judicantes. Quonam autem pacto Christus dicatur Deus perfectus, & homo perfectus, patriique & nobis consubstantialis, si divinæ naturæ pars, humanæ naturæ parti in eo unita est?

Dicimus autem naturam nostram a mortuis

§ *Greg. orat.* 1. 33. *&* 51. † *Inf.* c. 18.
* *Greg. ep.* 1. *ad Cled.*

tuis excitatam esse, & in cœlum ascendisse, atque ad Patris dexteram sedisse; † non quod omnes hominum personæ una resurrexerint, & ad dexteram Patris consederint, sed quod toti naturæ nostræ in Christi persona hoc contigerit. Ait enim divinus Apostolus: § *conresuscitavit nos & consedere fecit in Christo.*

Quin hoc dicimus, unionem ex communibus essentiis esse factam. Omnis enim essentia personis, quæ sub ipsa continentur, communis est: nec inveniri possit ulla singularis, ac propria natura, sive essentia. Nam alioqui easdem personas simul ejusdem esse, ac diversæ essentiæ dicere oporteret, ac sanctam Trinitatem ratione Deitatis simul & consubstantialem esse, & disparis substantiæ. Ex quo perspicuum est, eandem naturam in quavis personarum considerari. Et cum, juxta beatos viros Athanasium & Cyrillum, Verbi naturam incarnatam esse pronuntiamus, divinitatem carni unitam esse dicimus. Quam ob causam non possumus dicere, Verbi naturam passam esse

† *Athan. de salut. adv.* § *Eph.* 2. *v.* 6.

esse. Non enim in eo divinitas passa est. At naturam humanam, personas hominum haudquaquam innuendo, in Christo passam esse dicimus, itemque Christum in humana natura passum esse confitemur. Quamobrem, cum *Verbi naturam* dicimus, Verbum ipsum significamus. Verbum porro & substantiæ communitatem habet, & personæ proprietatem.

De una Dei Verbi composita persona.

CAP. VII.

DIvinam itaque Dei Verbi hypostasin dicimus ante omnia existere, extra tempus omne & sempiterne, simplicem nec compositam, increatam, incorpoream, invisibilem, a contactu alienam, & incircumscriptam, omnia habentem, quæ Pater habet, quia ejusdem cum eo substantiæ est, & sola generationis ratione & relatione a Patris hypostasi discreta; perfectam item, nec unquam a persona Patris sejunctam: ceterum in novissimis diebus Verbum, Paterno sinu non relicto, sine circumscriptio-

ptione in sanctæ Virginis utero habitasse absque semine, & incomprehensa, qua ipse novit ratione, feciſſeque, ut caro ex sancta Virgine assumta, in sua seculis antiquiore hypostasi subsisteret.

Et tum quidem in omnibus & super omnia erat, cum in sanctæ Dei Genitricis utero agebat; at in eo specialius incarnationem operando. Incarnatus itaque est, assumens conspersionis nostræ primitias, carnem scilicet anima rationali & intelligente animatam, ita ut ipsa Verbi hypostasis, hypostasis etiam carnis facta fuerit, & Verbi persona, quæ ante simplex erat, composita evaserit: composita, inquam, ex duabus naturis perfectis, divinitate nimirum & humanitate; feratque certam illam discriminantemque divinæ Verbi filiationis proprietatem, qua a Patre & spiritu sancto secernitur, tum certas discriminantesque proprietates carnis, quibus a matre & reliquis hominibus discrepat: imo divinæ naturæ proprietates gerat, quarum ratione Patri & Spiritui sancto unitus est, itemque humanæ naturæ proprias notas, quarum ratio-

tione & matri, & nobis unitus est. Quin etiam hoc nomine, tum a Patre & Spiritu, tum a matre & nobis differt, quod idem simul Deus & homo est. Hanc enim maxime peculiarem Christi personæ proprietatem esse agnoscimus.

Quocirca, etiam post humanitatem assumtam, unum Dei Filium ipsum confitemur, eundemque Filium hominis, unum Christum, unum Dominum, unum unigenitum Filium, ac Dei Verbum, Jesum Dominum nostrum, duplicem ipsius generationem venerantes; alteram ex Patre ante sæcula, causa omni, & tempore, & natura sublimiorem; alteram extremis temporibus, nostri causa, nostri instar, ac supra nos; nostri causa, inquam, ut nobis salutem afferret: nostri instar, quia homo ex muliere, ac consueto partus tempore editus est: supra nos denique, quia non ex semine, sed de Spiritu sancto, sanctaque Virgine Maria, quod quidem pariendi lege eminentius est. Non ut eum Deum prædicemus nostra nudum humanitate, aut rursus solum hominem, divinitate spoliatum

† aut denique alium & alium; sed unum eundemque Deum simul & hominem, Deum perfectum, & hominem perfectum, totum Deum, & totum hominem: totum Deum, una cum ipsius carne, & totum hominem, etiam adjuncta ipsius præcelsissima Deitate. Porro cum Deum perfectum, & perfectum hominem dicimus, naturarum plenitudinem, ut nihil in eis desideretur, declaramus: cum vero totum Deum, & totum hominem, individuam personæ singularitatem ostendimus.

Quinimo unam Dei Verbi naturam incarnatam confitemur; per id quod *incarnatam* dicimus, carnis substantiam significantes, § secundum beatum Cyrillum. Ac proinde incarnatum est Verbum, nec tamen a natura sua materiæ experte non descivit; totumque incarnatum est, & totum incircumscriptum manet. Suscepto corpore minuitur, & contrahitur; divinitate vero cir-

† *Expos. fidei a Patrib. Nic. cont. Pau. Samos.* 3. *p. Conc. Epbes.* § *In commonit. ad Eulog. & Epist.* 2. *ad success. Sup. c.* 6. *& inf. cap.* 11.

circumscriptionem repsuit. Neque enim ipsius caro una cum divinitate, quæ circumscribi nequit, Deus se porrigit & extendit.

Porro totus est perfectus Deus, at non in totum Deus (neque enim solum Deus, sed etiam homo) totusque item homo perfectus, verum non in totum homo. † Non enim duntaxat homo, sed etiam Deus. *Totum* quippe naturam declarat; *totus* autem personam: non secus atque *aliud* naturam indicat, *alius* personam.

Sciendum est autem, quod quamvis Domini nostri naturas se mutuo permeare dicamus, § attamen hujusmodi permeationem a natura divina fieri constat; quippe quæ pro libitu suo omnia pervadit, nihil ipsam pervadente. Quin suas quidem dotes carni impertit, cum ipsa interim impassibilis, & carnis affectionum exsors maneat. Cum enim sol multiplicis virtutis suæ nos participes faciat, ut tamen in rerum nostrarum partem minime veniat, quanto minus solis opifex & Dominus.

† *Greg. Naz. orat.* 51. § *Supr. cap.* 3.

Ad eos qui scisciantur : An ad continuam quantitatem, vel ad discretam Domini naturæ reducantur. CAP. VIII.

QUod si quis de Domini naturis percontetur, ad continuam ne quantitatem, an ad discretam referantur, § sic respondebimus: Domini naturas, neque corpus unum esse, nec superficiem unam, neque lineam unam, neque tempus, neque locum, ut ad continuam quantitatem reducantur. Hæc enim sunt, quæ continue quanta censentur.

Sciendum porro est, ea in numerum cadere quæ inter se distinguuntur; nec numerari ea posse inter quæ nulla distinctio est: sed quatenus distinguuntur, eatenus numerari e. g. Petrus & Paulus, qua ratione uniti sunt, non numerantur; nam, cum secundum essentiam copulentur, dici non possunt duæ naturæ: at vero, cum ratione personæ differant, duæ proinde personæ dicuntur. Ex quo patet, numerum iis convenire, quæ inter se differunt; & quatenus differunt, quæ inter se differunt, hactenus quo-

§ *Leontius de Sectis actis 3.*

quoque ea numerari.

Quocirca Domini naturæ, quantum ad perſonam attinet, abſque confuſione unitæ ſunt; quantum autem ad differentiæ rationem, abſque diviſione diſtinguuntur. Ac quidem qua ratione unitæ ſunt, minime numerantur (neque enim duas quantum ad perſonam dicimus eſſe Chriſti naturas) qua autem citra diviſionem diſtinctæ ſunt, numerantur. Duæ enim Chriſti naturæ ſunt, diſtinctionis ratione & modo: nam quia ratione perſonæ unitæ ſunt, & invicem ſe pervadunt, citra confuſionem uniuntur, ſuam naturalem differentiam ambæ retinentes. Quare, cum diſtinctionis modo, ejuſque ſola ratione numerentnr, ad diſcretam quantitatem redigentur.

Quapropter unus eſt Chriſtus, Deus perfectus, & homo perfectus, † cui unam eandemque adorationem cum Patre & Spiritu, non excluſa immaculata ejus carne adhibemus. Neque enim adorandam eſſe carnem ejus negamus: quippe quæ adoratur in una Verbi perſona, quæ quidem ipſi perſona &

† *Cyrill. in def. & Athan. cont. Theod.*

& hypostasis facta est. Qua in re non creaturæ servimus; non enim illam, ceu nudam carnem adoramus, sed velut Divinitati unitam: & quia duæ ipsius naturæ ad unam Dei Verbi personam reducuntur, unamque subsistentiam. Carbonem tangere ob ignem cum ligno conjunctum vereor. Ambas Christi naturas ob unitam carni divinitatem adoro. Non quartam Trinitati personam interfero: absit; sed unam Dei Verbi, carnisque ipsius personam confiteor. Trinitas quippe etiam post Verbi incarnationem Trinitas mansit.

Ad eos qui sciscitantur, utrum ad continuam quantitatem, vel ad discretam, duæ naturæ referatur.

DOmini naturæ, nec unum corpus sunt, nec superficies una, nec linea, nec locus, nec tempus, ut ad continuam quantitatem reducantur. Istæc enim sunt, quæ numerantur. At Domini naturæ citra confusionem ullam secundum hypostasim inter se unitæ sunt, ac citra divisionem discretæ, ra-

ratione nimirum & modo discriminis utriusque. Et quidem, qua ratione unitæ sunt, non numerantur, neque duas esse personas Christi naturas dicimus, aut duo secundum hypostasim. Qua vero ratione indivisim distinguuntur, hac numerantur. Duæ siquidem naturæ sunt, ratione & modo discriminis. Cum enim inter se secundum hypostasim uniantur, seseque mutuo pervadant, citra confusionem copulantur; ita ut altera in alteram non mutetur, sed suum utraque discrimen naturale etiam post unionem conservet. Nam quod creatum est, creatum mansit, & quod increatum, increatum. Quare, cum differentiæ modo, eoque solo numerentur, ad discretam quantitatem reducendæ sunt. Neque enim fieri possit, ut quæ nullatenus inter se discrepant, numerentur: sed qua ratione quædam differunt, ea quoque numerari solent. e. g. Petrus & Paulus quatenus simul uniuntur, numerum respuant; quia, cum essentiæ ratione uniantur, duæ naturæ nec sunt, nec dicuntur: quatenus vero personaliter inter se discrepant, duæ personæ dicuntur. Ex

quo perspicuum fit, differentiam esse causam numeri.

Ad illud quod quæritur, sit ne ulla natura quæ subsistentia careat; responsio. CAP. IX.

QUamvis enim nulla sit natura, quæ subsistentia careat, nec ulla substantia, quæ personæ expers existat, (quippe & cum substantia, & natura in subsistentiis considerentur & personis) at non idcirco necesse est, ut naturæ illæ, quæ secundum hypostasim inter se unitæ sunt, suam singulæ hypostasim habeant. § Fieri enim potest, ut in unam personam convenientes, nec subsistentia careant; nec rursus separatam ac propriam subsistentiam habeant, sed ambæ unam & eandem. Nam, cum una & eadem Verbi persona ambarum naturarum persona exstiterit, nec utramvis harum subsistentia carere sinit, nec rursus eas diversam inter se subsistentiam habere concedit; nec demum ut nunc hujus, nunc illius persona sit, sed utriusque semper citra divisionem & separationem hypostasis exsistit; sic

§ *Leont. de sect. act.* 7.

ſic nimirum ut non in partes ſecetur ac dividatur, ſuique partem huic, partemque illi tribuat, ſed tota hujus, ac tota illius indiviſe, atque in totum ſit. Neque enim ut ſeorſim ſubſiſteret, Dei Verbi caro condita eſt, aut præter Dei Verbi perſonam alia facta fuit perſona: ſed cum in ea ſubſiſteret, facta eſt potius ἐνυπόστατος, i. e. in alio ſubſtans, quam ſeorſim in ſeipſa ſubſtans hypoſtaſis. Quamobrem nec caret ſubſiſtentia, nec alteram in Trinitate perſonam inducit.

De hymno Triſagio. CAP. X.

§ QUæ cum ita ſint, appendicem illam, quam Petrus Cnaphæus, ſeu Fullo, Triſagio hymno adjecit, impiam eſſe ſtatuimus, ut quæ quartam inducat perſonam, ac Dei Filium, vim illam nimirum Patris vere ſubſiſtentem, ſeorſim collocet, & ſeorſim rurſus eum, qui cruci affixus eſt, ac ſi ab illo *Forti* diverſus eſſet, vel Trinitatem ſanctam paſſioni obnoxiam opine-

§ *Dam. epiſt. ad Jord. Archim.*

tur, Patremque ac Spiritum sanctum in crucem agat. Procul sit blasphema hæc & adulterina nugacitas. Nos quippe illud, *Sanctus Deus* de Patre accipimus: non quod ipsi soli divinitatis assignemus nomen. Nam & Filium, & Spiritum sanctum Deum agnoscimus. Itidem illud, *Sanctus fortis*, Filio tribuimus: non quod Patrem & Spiritum sanctum virtute spoliemus. Ac denique illud, *Sanctus immortalis*, Spiritui sancto adscribimus, non ut Patrem & Filium ab immortalitate excludamus, sed ut in unaquaque persona omnia divina nomina simpliciter & absolute sumamus, divinum scilicet Apostolum imitantes, cujus hæc verba sunt; † *Nobis autem unus Deus Pater, ex quo omnia, & nos ex ipso; & unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum; & unus Spiritus sanctus, in quo omnia, & nos in ipso.* § Itemque Gregorium illum Theologum ad "hunc modum loquentem: „Nobis autem "unus Deus Pater, ex quo omnia, & u- "nus Dominus Jesus Christus, per quem omnia

† 1. *Cor.* 8. *v.* 5. § *orat.* 39.

omnia, & unus Spiritus ſanctus, in quo " omnia: his voculis, *ex quo*, *per quem*, " & *in quo*, non ſcindentibus naturas (ne- " que enim alioqui præpoſitiones illæ, aut " nominum ordines unquam mutarentur) " verum unius ac inconfuſæ naturæ proprie- " tates exprimentibus. Idque liquet ex eo " quod rurſus in unum colliguntur, ſi modo " quiſpiam illud apud Apoſtolum haud ne- " gligenter legat: † *ex ipſo, & per ipſum,* " *& in ipſo ſunt omnia, ipſi gloria in ſecula* " *ſeculorum. Amen.* "

§ Nam quod non de Filio duntaxat, ſed de ſancta Trinitate dictus ſit ter ſanctus hymnus, teſtantur divinus ſacerque Athanaſius, Baſilius, & Gregorius, ac totus Patrum a Deo afflatorum chorus; nempe quod ſancta illa Seraphim per trinam Sanctitatem, tres ſupereſſentialis divinitatis perſonas nobis indicent; per unam autem dominationem, unam divinæ Trinitatis ſubſtantiam, imperiumque declarent. Ait quippe * Gregorius Theologus: Sic porro San

† *Rom.* 11. *v.* 35. § *Vid. epiſt. ad Jordan.*

* *Orat.* 42.

" Sancta sanctorum, quæ etiam a Seraphim
" obteguntur, ac tribus sanctificationibus
" celebrantur, in unam dominationem &
" divinitatem conveniunt; id quod & alius
" quispiam majorum nostrorum pulcherri-
" me ac sublimissime edisseruit.

Jam vero narrant Ecclesiasticæ Historiæ scriptores, cum plebs Constantinopolitana, Procl. Archiepiscopum agente, § minaci quadam immissa divinitus tempestate conterria, suplex Deo preces adhiberet, † puerum quendam e plebe in sublime raptum, Angelis quibusdam magistris Trisagium hunc hymnum didicisse, *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, miserere nobis*. Cumque loco suo puer redditus, id quod didicerat; retulisset, multitudinem universam hymnum hunc cecinisse, atque hoc pacto imminentem calamitatem quievisse. Qui in sancto magnoque, & universali quarto illo Concilio, quod Chalcedone coactum est, ita cantatus fuisse hic hymnus traditur; quemadmodum in sanctæ hujus

§ *Felix. 3. & alii epist. ad Patrq. Fullo.*
Theoph. ad an. 5930.

hujus Synodi actis recitatur. † Quamobrem a rediculum prorsus & ludicrum fuerit, canticum istud Trisagium ab Angelis acceptum, ingruentiumque malorum depulsione firmatum, quod conferta sanctorum Patrum Synodus comprobavit, quin & Seraphim pridem cecinerant, velut quo tres deitatis personæ exprimerentur, Cnaphei iniqua opinatione, quasi ille Seraphim antecelleret, pedibus proculcari, aut saltem emendari. Proh insignem arrogantiam, ne dicam a mentiam! Nos vero (rumpantur licet etiam dæmones) ita dicimus, *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, miserere nobis.*

† *Conc. Chal. act.* 1. *in fin.*

De natura quæ in specie, & quæ in individuo consideratur, deque differentia unionis & incarnationis: & quomodo illud accipiendum sit, Unam Dei Verbi naturam incarnatam. CAP. XI.

NAtura, vel sola cogitatione consideratur (neque enim per se subsistit) vel com-

communiter in omnibus ejusdem speciei personis, ut videlicet eas conjungit; ac tum dicitur in specie considerata natura: aut in totum eadem ipsa cum assumtis accidentibus, in una persona, diciturque in individuo considerata natura, quæ tamen eadem est ac ea quæ in specie consideratur. Itaque Deus Verbum, carnem assumens, nec naturam quæ sola cogitatione conspicitur, accepit (neque enim hoc incarnatio fuerit, sed impostura & incarnationis larva) neque eam quæ in specie conspicitur (non enim personas omnes assumsit) verum illam demum quæ in individuo est, eandemmet ac ea quæ est in specie (primitias enim nostræ carnis assumsit) non quæ seorsim in se & individuum prius fuerit, posteaque ab eo assumta sit, sed quæ in ipsius persona exstiterit. Ipsa enim Dei verbi hypostasis, carni hypostasis exstitit. Hac porro ratione, † *Verbum caro factum est*, sine ulla conversione; caroque item, Verbum citra mutationem, & Deus, homo. Deus enim est Verbum, & homo, Deus, ob hypostaticam

† *Joan.* 1. *v.* 14.

cam unionem. Idem igitur est Verbi naturam dicere, atque naturam illam quæ in individuo est, Neque enim individuum, id est hypostasim, proprie & solitarie declarat, nec personarum communitatem: verum communem naturam in una ex suis personis consideratam, & inquisitione facta cognitam.

Jam vero aliud est unio, & aliud incarnatio. Unio enim solam conjunctionem indicat; cum quo autem hæc conjunctio facta sit, non item. At incarnatio (quod perinde est, ac si humanationem dicas) cum carne, sive homine, conjunctionem ostendit, veluti & ferri ignitio, unionem cum igne. Sane beatus ipse Cyrillus in . . . nda ad Successum epistola illud exponens, *unam naturam Dei Verbi incarnatam*, ait: „ Etenim si, cum unam Verbi naturam diximus, protinus tacuissemus, nec *incarnatam* subjunxissemus, sed humanitatis assumtionem, veluti foras exclusissemus, probabilitate forsitan aliqua non caruisset eorum oratio, cum dissimulanter ira rogarant: si una natura totum est, eccubi tandem illa in humaⁿ

manitate perfectio est; aut quo pacto con-
fitiit nostræ æqualis essentia? Quoniam au-
tem & in humanitate perfectio, & substan-
tiæ nostræ declaratio invecta est per id quod
dixi, *incarnatam*, desinant tandem scipio-
ne arundineo niti. Hic igitur Verbi na
turam pro natura ipsa collocavit. Nam
si pro persona naturam accepisset, haud
absurdum fuisset, † id etiam citra hoc vo-
cabulum, *incarnatam*, enuntiare. § Unam
enim hypostasim Dei Verbi absolute dicen-
tes, nequaquam aberramus. Consimilem
etiam in modum Leontius Byzantinus de
natura hunc locum intellexit, non de per-
sona. At vero B. Cyrillus in ea apologia,
qua Theodoreti ad versus secundum ana-
thematismum suum criminationes refellit,
ita loquitur: „ Natura Verbi, id est, per-
sona, quod est Verbum ipsum. * Quare
Verbi naturam dicere, nec personam so-
lam. nec personarum communitatem signi-
ficat, sed communem naturam in Verbi perso-
na hypostasi integre & perfecte consideratam.

Quam-

† *Sup. c. 6. & 7.* § *Leont. de sect. act. 8.*
* *Cyrill. defens. 2. Anath. cont. Theod.*

Quanquam autem Verbi naturam incarnatam, hoc est carni unitam esse dictum sit: tamen Verbi naturam carne passam ad hunc usque diem non audivimus: verum Christum carne passum didicimus: Ex quo colligitur, non significari personam cum Verbi naturam dicimus. Reliquitur itaque, ut dicamus idem esse incarnatum, quod carni unitum, at Verbum carnem factum esse, idem quod ipsam Verbi personam absque ulla conversione carnis personam factam fuisse. Eodem modo illud quoque dictum est, quod Deus factus sit, & homo Deus (Verbum enim, Deus existens, sine ulla mutatione factus est homo) sed quod Divinitas homo facta sit, aut incarnata, vel humanam nturam induerit, hoc nusquam audivimus. Illud quidem edocti sumus, Divinitatem in una suarum personarum humanitati unitam esse: item traditum est quod Deus formam, hoc est alienam substantiam, nostram nimirum, induerit, (cuilibet enim personæ vox *Deus* tribuitur) at divinitatis vocabulum de persona usurpare non possumus. Nam quod di-

vinitas Pater solus sit, aut solus Filius, aut solus Spiritus sanctus, nusquam a nobis auditum est. Divinitas enim naturam declarat, Pater autem personam, quemadmodum & humanitas naturam, Petrus vero personam. At vox Deus, & naturæ communitatem significat, & in unaquaque persona æque locum habet, velut & Homo. Deus enim is est, qui divinam habet naturam; & homo, qui humanam.

§ Præter hæc omnia sciendum est, Patrem & Spiritum sanctum nulla ratione carni Verbi communicare, nisi quantum ad miracula attinet, & quantum ad beneplacitum & voluntatem.

§ *Dion. de div. nom. c.* 2.

Quod sancta Virgo Dei Genetrix sit, adversus Nestorianos CAP. XII.

SAanctam porro Virginem Dei proprie & vere genitricem prædicamus. § Sicut enim verus est Deus, qui ex ipsa natus est; ita perinde Dei mater est, quæ verum Deum

§ *Greg. Naz. epist.* 1. *ad Cledon.*

ex se incarnatum genuit. Deum porro ex ea natum esse natum esse dicimus, non quod Verbi divinitas exsistendi principium ex ipsa traxerit; sed quia Verbum ipsum, quod ante sæcula citra ullum tempus ex Patre genitum est, ac sine exordio & sempiterna una cum Patre & Spiritu sancto est, in extremis diebus salutis nostræ causa, in utero ipsius habitavit, & assumta carne ex ea genitum est sine sui demutatione, Non enim hominem purum S. Virgo genuit, sed Deum verum, non nudum, sed carne vestitum; nec ita ut corpore de cœlis allato, per eam velut per canalem transierit, † sed ex ipsa carnem ejusdem ac nos substantiæ acceperit, quæ in seipso subsisteret. Nam si corpus e cœlo devectum est, ac non ex natura nostra acceptum, quid tandem inhumanatione opus erat? § Etenim Dei Verbum humanitatem idcirco induit, ut ipsamet natura quæ peccaverat, ceciderátque, & corrupta erat, tyrannum qui se deceperat, superaret, sicque a corruptione vindicaretur, ut divinus Apostolus ait: * *Quoniam per hominem mors,*

† *Greg. ibid.* § *Inf. c.* 18. 1 *Cor.* 15. *v.* 21.

& per hominem resurrectio mortuorum. Si primum illud vere exstitit, sane & secundum.

† Etsi autem his verbis utitur § *Primus Adam de terra, terrenus. secundus Adam, Dominus de cælo*, non innuit, corpus ejus de cœlo fluxisse; sed eum nudum hominem non esse ostendit. Nam, ut vides, & Adamum, & Dominum, eum appellavit, utrumque simul indicans. Adamus quippe terrigenam sonat. Liquet autem terrigenam esse hominis naturam, ut quæ ex terra efficta sit. Domini autem vocabulum, divinam naturam declarat.

Ac rursus ita loquitur Apostolus: *Misit Deus Filium suum unigenitum factum ex muliere.* Non dixit, *per mulierem*, sed, *ex muliere.* Quocirca significavit, eum ipsum esse unigenitum Dei Filium ac Deum, qui ex Virgine factus est homo: atque item eum ipsum ex Virgine genitum esse, qui Dei Filius ac Deus est. Genitum porro corporeo modo, qua scilicet ratione homo factus est: ita nimirum, ut non in homine prius condito, tanquam in Prophera habitaverit, verum

† *Cor.* 15. v. 47. § *Greg. Naz. ibid.*

num ipse substantialiter ac vere factus sit homo; hoc est, in sua hypostasi carnem animatam rationali & intelligente animatam subsistere fecerit, seipsum illius præbens hypostasim. Hanc enim significationem habet illud, *factum ex muliere*. Nam quo tandem pacto ipsummet Dei Verbum sub lege factum esset, nisi homo ejusdem ac nos substantiæ existitisset?

Merito igitur & vere sanctam Mariam, Deiparam appellamus. Hoc enim nomen totum incarnationis mysterium adstruit. Nam, si Dei mater est quæ genuit, profecto Deus est qui ex ipsa genitus est: profecto etiam homo. Nam qui fieri potuisset, ut Deus qui ante secula exstabat, ex muliere nasceretur, nisi homo factus esset? Qui enim filius est hominis, homo etiam ipse sit necessum est. Quod si ille ipse qui ex muliere natus est, Deus est, unus proculdubio atque idem est, qui ex Deo Patre genitus est, quod ad divinam & initii expertem substantiam attinet, quique extremis temporibus ea substantia quæ initium habuit, temporique subjecta est, hoc est, humana, ex

Virgine natus est. Hoc vero unam Domini nostri Jesu personam, duasque naturas, & duas generationes significat.

At vero sanctam Virginem neutiquam Christiparam nuncupamus, quia ad abolendum † *Deipara* vocabulum Nestorius, impurus ille & exsecrandus, animoque Judæus, illud ignominiæ vas, in contemtum ejus quæ super creaturam omnem sola vere colenda est, Dei genitricis (disrumpatur licet ille cum patre suo Satana) hoc nominis excogitavit, quod obtruderet. Enimvero Rex David Christus quoque dicitur, & Pontifex Aaron, quippe cum Reges & Sacerdotes ungi solerent: quinimo quivis homo pius, & cui Deus adspiraverit, Christus dici possit, at non perinde natura Deus; juxta ac exitiabilis ille Nestorius eum qui de Virgine natus est, Diferum ore fremebundo pronuntiavit. Verum hoc absit a nobis, ut cum afflatum a Deo, § deiferumve dicamus, vel cogitemus; imo potius incarnatum Deum. Ipsummet enim Verbum factum est caro, ut con-

† *Cyrill. epist. ad Mon.* § *Cyrill. lib.* 1. *cont. Nest.*

conceptum quidem de Virgine fuerit, Deus vero prodierit cum assumpta natura quam deificarat simul atque producta est. Exinde tria pariter una contigerunt, nimirum quod assumta sit, quod existiterit, quod deificata a Verbo fuerit. Hinc fit ut Virgo sancta. Dei genitrix tum intelligatur, tum appelletur, non modo propter naturam Verbi, sed etiam ob humanitatem deitate donatam, stupendo miraculo patratis simul horum & conceptione & existentia, Verbi quidem conceptione, carnis vero, existentia in ipso Verbo. Ipsa namque Dei genitrix supra naturæ leges rerum omnium factori subministrabat, unde ipse quoque fingeretur, universorumque conditori Deo, ut assumtam humanitatem deitate donans, homo ipse fieret, cum interim unio quæ unita sunt, talia servaret qualia unita essent, hoc est, non diviniratem solum, sed etiam Christi humanitatem; nec illud solum quod supra nos, sed & id quod nostrum est. Non enim cum ante nostri similis extitisset, postea superior nobis evasit: sed semper a primo ortu utrumque exstitit: quoniam a pri-

mordiis conceptionis in ipso Verbo existentiam habuit. Quocirca, quod assumtum fuit, suapte quidem natura humanum est, Dei autem & divinum supernaturali quodam modo. Quin animatæ quidem carnis proprietates habuit: eas enim dispensationis suæ ratione Verbum suscepit, quæ secundum naturalis motus ordinem vere naturales sunt.

De duabus naturarum proprietatibus.

CAP. XIII.

EUndem porro Deum Dominum nostrum Jesum Christum, & perfectum Deum, & perfectum hominem prædicantes, hoc profitemur, eundem & omnia habere, quæ Pater habet, excepta ingeniti proprietate; & omnia item, quæ primus Adam, excepto solum peccato; hoc est, corpus & animam ratione & intelligentia præditam: quin habere etiam eum, ut duabus naturis constantem decet, duplices naturarum duarum naturales proprietates; hoc est duas voluntates naturales, divinam nimirum & humanam, duas naturales

tales operationes, divinam & humanam; duas naturales arbitrii libertates, divinam & humanam: ac denique ſapientiam & ſcientiam duplicem, divinam & humanam. Nam cum ejuſdem ac Pater ſubſtantiæ ſit, libere vult & agit ut Deus: rurſus cum conſubſtantialis ſit nobis, libere item vult & agit, ut homo. Ipſius enim miracula ſunt, ipſius quoque paſſiones.

De Domini noſtri Jeſu Chriſti duplici voluntate, arbitriique libertate. CAP. XIV.

QUoniam igitur duæ Chriſti naturæ ſunt, duas proinde ejus naturales voluntates & duas naturales operationes dicimus. Quia vero una duarum naturarum ipſius eſt hypoſtaſis, unum & eundem eſſe dicimus naturaliter, qui, juxta eas naturas, ex quibus, & in quibus, & quæ eſt Chriſtus Deus noſter, naturaliter velit & agat: eum autem inſuper velle & agere, non divide, ſed conjuncte dicimus. † *Vult enim & agit in utraque forma, cum alterius communi-*

† *Leo epiſt.* 10. *ad Flavian.*

munione. § Quorum enim eadem substantia est, * eorum quoque eadem voluntas & actio sit necesse est: quorum autem diversa est, horum etiam diversa voluntas & actio sit, oportet. E contra quorum voluntas & actio eadem est, eorum eadem quoque substantia est: quorum autem dispar voluntas & actio, horum etiam dispar est substantia.

¶ Quocirca in Patre quidem & Filio, & Spiritu sancto, quia eadem voluntas atque actio est, eandem quoque naturam esse agnoscimus. At in divina incarnatione ex actionum & voluntatum discrimine naturarum quoque discrimen agnoscimus, ac naturarum discrimen exploratum habentes, voluntatum etiam & actionum discrimen confitemur. Quemadmodum enim unius & ejusdem Christi naturarum numerus, si pie intelligatur & prædicetur, unum Christum nequaquam dividit; verum incolumem, etiam in unione differentiam naturarum ostendit: ita earum voluntatum & actio-

§ *Max. disp. cum Pyrrho. post.* * *Basil. ep. 80.* ¶ *Supra lib. 2. c. 22.*

actionum numerus, quæ ſubſtantialiter ipſis naturis conveniunt (etenim ſecundum utramque naturam ita comparatus erat ut ſalutem noſtram vellet & operaretur) diviſionem non inducit (abſit) ſed earum duntaxat etiam in unione conſervationem & incolumitatem prodit. Naturales ſiquidem eſſe, ac non perſonales, voluntates & actiones dicimus; hoc eſt vim ipſam volendi & agendi, per quam volunt & agunt illa quæ volunt & agunt. Si enim perſonales eſſe conceſſerimus, tres ſanctæ Trinitatis perſonas diverſæ inter ſe voluntatis atque actionis neceſſario dicemus.

Sciendum enim eſt, non idem eſſe velle, atque hoc vel illo modo velle. Velle ſiquidem naturæ eſt, ut & videre. Omnibus enim hominem hoc convenit. At certo modo velle, † non naturæ eſt, ſed noſtri conſilii & ſententiæ; quemadmodum & certo modo videre, hoc eſt bene vel male. Non enim omnes homines eodem modo volunt, neque eodem modo vident. Hoc au-

§ *Max. Dial. cum Pyrrho.* † *Anaſt. in ὁδηγῷ cap. 6. P. 40.*

autem etiam in actionibus concedemus. Nam certo modo velle, certo modo videre, certo modo agere, modus est quo quis voluntate utitur, nec non videndi atque agendi facultate, quæ soli utenti adest, eumque secundum rationem differentiæ communiter dictæ ab aliis secernit.

Itaque velle simpliciter, voluntas dicitur, sive facultas volendi, quæ est appetitus rationabilis, & voluntas naturalis: at certo talique modo velle, sive quod est voluntati subjectum, res illa est quam volumus, & voluntas arbitrii. Θελητικόν autem illud est, cui a natura inest vis volendi: ut pura natura divina vim habet volendi, item temque humana. Volens denique est, qui voluntate utitur, sive persona, ut Petrus.

Quoniam igitur unus Christus, unaque itidem ejus persona est, unus etiam proinde est volens, tam divina, quam humana ratione. Rursus, quia duas naturas volendi facultate præditas habet, ut pote rationales (quidquid enim rationale est, illud quoque ad volendum habile est, ac liberum) id-

§ *Sup. lib.* 2. § *Max. ibid.*

idcirco duas etiam in eo naturales voluntates dicemus. Idem enim ipse propter utramque naturam volendi facultate pollet; quippe qui eam assumsit vim volendi quæ nobis a natura est. Et quoniam unus idemque Christus est, qui utriusque naturæ ratione vult, idem proinde voluntatis subjectum in eo dicemus: non quod ea sola vellet, quæ naturaliter uti Deus volebat (neque enim divinitati convenit. ut edere velit, & bibere, aliaque id genus) sed etiam ea quæ naturam humanam constituunt: istud vero non sententiæ contrarietate, sed naturarum proprietate. Tum demum enim naturaliter hæc volebat, cum divina voluntas ipsius ita volebat, & carnem ea quæ sibi propria erant, pati & agere permittebat.

† Quod autem voluntas homini insita natura, hinc perspicuum est. Nam præter divinam tres sunt vitæ species, vegetans, sentiens, ac intelligens. § Vegetantis vero peculiaris est motus ille nutriendi, augescendi & generandi: sentientis, motus impulsionis; rationalis & intelligentis, motus liber. Quare si

† *Ratio.* § *Max. Dial. cum Pyrrho.*

si vegetanti naturaliter inest motus nutrien-
di; sentiendi vero, motus impulsionis. na-
turaliter proinde rationali & intelligenti a-
dest motus liberi arbitrii. Arbitrii porro li-
bertas nihil aliud est, quam voluntas. Un-
de cum Verbum caro animata, & intelligen-
tia arbitriique libertate prædita factum sit,
volendi quoque facultate instructum exsti-
tit.

2. Deinde, ea quæ naturalia sunt disci-
plina non comparantur. Neque enim qui-
squam est, qui cogitare discat, aut vivere,
aut fame, vel siti laborare, aut dormire.
Atqui nec etiam velle discimus, igitur na-
turale est quod velimus.

3. Et rursus, si in brutis natura ducit ac
regit, ducitur autem in homine, ut qui li-
bera potestate per voluntatem moveatur;
sequitur, ut homo volendi facultate suapte
natura instructus sit.

4. Et rursum, si ad beatæ & supereſſentia-
lis divinitatis imaginem conditus est homo,
profecto cum natura divina libera sit, &
virtute volendi suapte natura polleat, ho-
mo quoque qui ejus imago est, iisdem a na-
tura

tura præditus erit. Etenim Patres liberum arbitrium voluntatem esse definierunt.

5. Ad hæc insuper, si cunctis hominibus velle ineſt, § ac non ut quibusdam insit, quibusdam non insit; proculdubio, cum id quod communiter in omnibus consideratur, naturæ notam in subjectis ei individuis exprimat, homo volendi facultatem habet.

6. Ac rursus, si natura nec magis, nec minus recipit; sane cum omnibus peræque velle insit, ac non aliis uberius, aliis parcius, ex natura sua proinde volendi facultate præditus est homo: ex quo efficitur, ut cum homo virtute volendi polleat, ea itidem naturaliter polleat Dominus, non modo qua Deus est, sed etiam qua factus homo. Sicut enim naturam nostram assumsit, sic & voluntatem nostram ex ordine naturæ assumsit. Atque hac ratione Patres cum volûntatem nostram in se expressisse ajunt.

7. Si naturalis voluntas non est, certe vel personalis erit, vel contra naturam. Si personalis; ergo Filii voluntas hac ratione a Pa-

§ *Max. ibid. ex Diadocho.*

Paterna discrepabit, aliaque ab ea erit. Etenim quod personale est, personæ solius exprimendæ vim habet. Sin autem contra naturam est, defectio a natura voluntas erit. Quæ enim naturæ adversa sunt, destruunt ea quæ naturæ conveniunt.

8. Rerum omnium Deus & Pater vult, vel quatenus Pater, vel quatenus Deus. Si quatenus Pater, alia erit ejus voluntas, alia Filii: neque enim Pater Filius est. Sin autem quatenus Deus, certe cum Filius quoque Deus sit, itemque Spiritus sanctus Deus, voluntatem naturæ esse, naturalemve, fatendum est.

9. † Insuper, si quorum voluntas una est, horum etiam, ut Patres senserunt, una est essentia: sane, si una divinitatis Christi atque humanitatis voluntas sit, una quoque & eadem earum substantia erit.

10. Ac rursus, si de Patrum sententia, naturæ discrimen in una voluntate non elucet, necesse est, ut vel unam dicendo voluntatem, naturale discrimen in Christo non di-

Greg. Nyss. cont. apollin. & alii act. 10. Sext. syn.

dicamus, vel naturarum distinctionem prædicantes, voluntatem unam non statuamus.

11. Ac rursus, si ut in divino Evangelio habetur, § protectus Dominus in partes Tyri & Sidonis: * *& ingressus domum, neminem scire voluit*, † *nec tamen latere potuit*; profecto cum divina ipsius voluntas omnia posſit, volens vero latere non potuerit, sequitur, ut quatenus homo id voluerit, nec potuerit; atque adeo ut quatenus homo volendi facultatem habuerit. ¶ Ac rursus, *cum venisset*, inquit, *ad locum dixit, sitio.* " *Et dederunt ei vinum felle mixtum:* ‖ *& cum gustasset, noluit bibere.* Porro si quatenus Deus siti correptus est, & cum gustasset noluit bibere; ergo etiam quatenus Deus passionibus obnoxius erat: sunt enim, tum sitis, tum gustatio, passiones. Sin autem non quatenus Deus, nihil profecto causæ dici potest, quin quatenus homo sitivit, utique quate-

§ *Mar. 7. v. 24.* * *Max. ibid.* † *Agatho Pap. epist. syn. in 6. syn. Ac. 4.* ¶ *Joan. 19. v. 28.* " *Matt. 27. v. 34.* ¶ *Max. ibid.*

nus homo voluntate instructus erat.

13. † Quin beatus quoque Paulus Apostolus, *factus*, inquit, *obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*. Atqui obedientia ejus voluntatis, quæ revera est, subjectio est, non ejus quæ non revera voluntas est: non enim brutum animal obediens dicemus, aut inobediens. Porro Dominus Patri factus est obediens, non quatenus Deus, sed quatenus homo. Nam quatenus Deus, nec obediens est, nec inobediens. § Hæc enim, ut divinus Gregorius ait, illis conveniunt, quæ potestati subjiciuntur. Igitur Christus qua homo voluntate præditus fuit.

Enimvero cum voluntatem naturalem pronuntiamus, non eam necessitate obstrictam, sed liberam dicimus. Nam quia rationem comitatur, utique & libera est. Neque enim divina solum & increata coactionem non admittit, sed ne intelligens quidem & creata. Idque perspicuum est: quia Deus, cum natura bonus sit, & natura conditor rerum, & natura Deus, na-

qua-

† *Phil.* 2. v. 8. * *Max. ibid.* § *Orat.* 36.

quaquam hæc omnia necessitate est. Ec quis enim hanc ei necessitatem induxit?

Scien lum autem est, arbitrii libertatem æquivoce dici, aliterque Deo convenire, aliter Angelis, & aliter hominibus. In Deo enim supersubstantiali modo hæc vox accipienda est: † in Angelis, ita ut aggressio habitum comitetur, nec ullam temporis intercapedinem admittat. Nam cum Angelus arbitrii libertatem suapte natura habeat, libere ac sine ullo impedimento ea utitur, ut qui nec ullam ex corpore sentiat repu nantiam, nec quemquam habeat a quo impetatur. In hominibus denique ita, ut habi. tus tempore anterior aggressione intelligatur. Quamvis enim liberi arbitrii homo sit, eoque ex sua natura polleat; habet tamen etiam diaboli impressionem, & corporis motum. Quare cum propter vim illam diaboli, tum propter corporis pondus, aggressio habitu posterior est.

Itaque si volens Adamus suggrenti scelus assensum præstitit, volensque comedit: ergo prima in nobis voluntas morbum con-

† *Maxim. disp. cum Pyrrho.*

traxit. § Quod si voluntas prima morbo subjacuit; neque hanc Verbum incarnatum una cum natura assumsit; sequitur nos a peccato liberatos non fuisse.

1 Præterea, si naturæ libertatem ipse condidit, hanc autem non assumsit; duorum alterum sit necesse est, aut igitur opificium suum velut non bonum reprobavit, aut ejus sanationem nobis invidit, sicque nos plena perfectaque curatione privavit, ac seipsum passioni subjacentem ostendit, qui perfectam salutem afferre noluerit, vel certe nequiverit.

Jam vero fas non est, ut unum aliquid ex duabus conflatum voluntatibus dicamus; quemadmodum ex naturis duabus compositam personam. Primum, quia compositiones eorum sunt quæ subsistunt, non quæ alia, & non propria ratione considerantur. Deinde, si voluntatum & actionum compositionem dicamus, aliarum quoque naturalium proprietatum compositionem necessario fatebimur; hoc est, increati & creati, invisibilis & visibilis, aliorumque id genus. At quonam tandem modo voluntas ex

† *Max. ibid.*

ex duabus voluntatibus conflata nuncupabitur? Neque enim fieri possit, ut quod compositum est, earum rerum quibus constat, nominibus appelletur. Nam alioqui, illud etiam quod ex naturis compositum est, naturam vocabimus, non personam. Huc accedit, quod si in Christo voluntatem unam compositam dixerimus, voluntate eum a Patre disjungemus. Non enim voluntas Patris composita est. Superest igitur, ut solam Christi personam compositam dicamus, communemque, ut naturis, ita etiam naturalibus proprietatibus.

At vero sententiam & electionem in Domino dicere non possumus, siquidem proprie loqui studeamus. § Sententia enim post ignotæ rei investigationem & deliberationem, consiliumve & judicium, affectio & dispositio est in id quod decretum fuit. Quam quidem affectionem sequitur electio, quæ alterum præ altero eligit & amplectitur. Atqui Dominus, cum purus homo non esset, verum etiam Deus, omniaque perspecta haberet, nec consideratio-

§ *Max. Dial. cum Pyrrho.*

ne, nec inquisitione, nec deliberatione egebat, neque etiam judicio: § quamobrem natura comparatus erat, ut necessitudine quadam bono adhæreret, ac rursus a malo averteretur. Sic enim Isaias Propheta ait: † *Antequam sciat puer præeligere mala, eligat bonum: quoniam antequam cognoscat puer bonum & malum, malitiam reprobabit, eligendo bonum.* Hæc vox, *antequam*, hoc indicat, quod non more nostro ex investigatione & deliberatione prævia, sed, ut qui Deus esset, divinoque modo subsistentiam carni tribueret, cui secundum hypostasim erat unitus, eo ipso quod erat, omniaque norat, suapte natura bonum habebat. Naturales enim virtutes sunt, ac naturaliter & peræque omnibus insunt, etiamsi non omnes æqualiter ea quæ naturæ consentanea sunt, operemur. ‡ Ex eo siquidem quod secundum naturam erat, in quod contra naturam est, divini mandati transgressione prolapsi sumus. At Dominus ex eo quod

§ *Basil. in Psal.* 44. *vel potius in cap.* 7. *Esai.* † *Isai.* 7. *v.* 15. *ap. Lxx.* * *Sup. lib.* 2. *c.* 30. ‡ *Max. Dial. cum Pyrrho.*

quod est contra naturam, in id quod naturæ consentaneum est, nos revocavit. Hoc enim est, quod his verbis significatur, *ad imaginem & similitudinem*. Quin piæ vitæ exercitia & labores non excogitata sunt, ut virtutem extrinsecus adscititiam adipiscamur, sed ut adventitium & naturæ inimicum vitium abjiciamus; non secus ac ferri rubiginæ, quæ minime naturalis est, sed ex incuria contrahitur, non sine labore submota, naturalem ferri splendorem perspicuum reddimus.

Sciendum autem, γνώμης, h. e. sententiæ nomen variam & multiplicem significationem habere. † Interdum enim adhortationem significat, ut cum ait divinus Apostolus, § *De virginibus præceptum Domini non habeo*, γνώμην *autem do*: interdum autem consilium, ut cum dixit Propheta David: * *Super populum tuum malignaverunt consilium*. Quandoque vero decretum, judicialemve sententiam, ut apud Danielem: " *a quo exiit impudens hoc de-*

† *Max. Dial. cum Pyrrho.* § 1. *Cor.* 7. v. 25. * *Psal.* 82. *v.* 4. " *Daniel* 2. *v.* 15

cretum. Nonnunquam denique pro fide aut opinione, aut animi sensu sumitur. Atque, ut paucis dicam, γνώμης vocabulum viginti & octo modis accipiutur.

De operationibus quæ in Domino nostro Jesu Christo sunt. CAP. XV.

PORro duas etiam in Domino nostro Jesu Christo operationes dicimus. Nam uni Deus Patrique consubstantialis, divinam paræque operationem habebat; & ut factus homo & consubstantialis nobis, humanæ quoque naturæ operationem.

† Atqui sciendum est, aliud esse actum, sive operationem, aliud esse id quod actuosum est, aliud effectum, aliud denique operantem. Actus enim est efficax & substantivus animæ motus. Actuosum est ipsa natura, ex qua operatio proficiscitur. Effectum est illud quod actu efficitur. Tandem operans, ille est qui actu utitur, sive persona. Porro nonnunquam actus ipse effectum dicitur, & vicissim effectum, actus, se-

† *Sup. lib. 2. c. Max. dial. cum Pyrrho.*

ſicut κτίσμα, dicitur κτίσις, Dicimus enim πᾶσα ἡ κτίσις, q. d. *omnis creatio*, ut res creatas ſignificemus.

Obſervandum etiam eſt, actum ſive actionem, eſſe motionem, agique potius, quam agere, † juxta atque Gregorius ait in oratione de Spiritu ſancto: Si autem eſt actio, agetur utique, non vero aget; & " ſimul atque acta fuerit, deſinet. "

Illud etiam eſt advertendum, vitam quoque actum eſſe, imo primarium animalis actum; quin & totam animalis functionem, ſive nutriendi & creſcendi virtutem, hoc eſt vegetatricem, ſive motum, qui fit per impulſum, id eſt ſentientem, ſive tandem motum intellectus & liberi arbitrii. Actus autem potentiæ perfectio. Cum itaque hæc in Chriſto perſpiciamus, fateamur ergo humanam quoque in eo operationem eſſe.

Actus etiam dicitur ea cogitatio, quæ primum in nobis conſurgit, eſt que ſimplex, § nullamque habitu finem implicans operatio, mente ſecum ipſa & occulte ſenſa ſua producente, quibus ſublatis ne mens quidem

† *Orat.* 37. § *Anaſt. Antioch. vid. not.*

dem merito dici possit. Dicitur etiam rursus actus, earum rerum quæ animo cogitantur per sermonis prolationem patefactio & explicatio. Hic porro non jam simplex est & omni relatione solutus, quin potius in relatione consideratur, quia ex cogitatione & sermone constat. Habitudo etiam illa quam habet ille qui aliquid agit, ad id quod efficitur, actus est; ipsaque res quæ fit, actus dicitur. § Atque illud quidem animæ solius est, hoc vero animæ corpore utentis; aliud corporis anima intelligente animati; aliud denique ipsum effectum. Mens siquidem, cum prius id quod futurum est consideravit, ita demum per corpus operatur: ac proinde anima principatum tenet. Utitur enim corpore tanquam instrumento, ipsum agens ac moderans. Altera autem est corporis actio ab anima gubernati & impulsi. Jam vero effectum, quod ad corpus attinet, tactus est, & in manus acceptio, atque ejus quod efficitur, veluti complexus: quod autem ad animam, ejus quod efficitur veluti figuratio & informatio. Ad hunc modum in

§ *Max. Tom. 2. Dogmat. ad Marin. p.* 124.

in Domino quoque noſtro Jeſu Chriſto, virtus miraculorum divinitatis ipſius actus erat, § at manuum opera, & velle, & dicere. *volo*, *mundare*, humanitatis ipſius erat actio: † opus autem, ſiquidem humanam naturam ſpectes, panum fractio, quodque leproſus audierit, *volo*; ſi autem divinam, panum multiplicatio, leproſi mundatio. Utraque enim actione, hoc eſt animæ & corporis, unam & eandem, cognatam, & æqualem, divinam operationem oſtendebat. Sicut enim ipſius naturas inter ſe uniras, ſeque invicem pervadentes agnoſcimus, nec tamen propterea diſtinctionem earum inficiamur, quin eas numeramus, licet diviſionis expertes noſcamus; ſic & voluntatum & actionum, tum conjunctionem, tum etiam diſtinctionem agnoſcimus, ſicque eas numeramus, ut tamen diviſionem non inducamus. Ut enim caro, quamvis deitate donata, non tamen naturæ ſuæ proinde mutationem ſubiit; eodem modo, licet voluntas & actio divinitate affectæ ſint, non tamen a finibus ſuis exceſſerunt. Unus enim, idemque

§ *Math.* 8. *v.* 3. *Joan.* 6. *v.* 11.

que est, qui & hoc, & illud est; & hoc & illo modo, hoc est, divino & humano vult & agit.

Cum itaque duæ in Christo naturæ sint, duas quoque in eo actiones dicere necesse est. Quorum enim diversa natura est, horum quoque dispar est actio; ac rursus, quorum diversa est actio, horum etiam dispar natura; & contra, quorum natura eadem est, horum & actio eadem: quorum autem una est actio, * horum etiam, secundum Patres divinorum sermonum interpretes, una est essentia. Itaque duorum alterum sit oportet, aut unam actionem in Christo dicentes, unam quoque essentiam dicamus; aut si veritatis studiosi sumus, duasque essentias ex Evangelii & Patrum doctrina confitemur, duas itidem actiones consentaneæ eas comitantes fateamur. Nam cum divinitatis ratione Patri consubstantialis sit, æqualis quoque quantum ad actionem erit. Ac rursus, cum idem ratione humanitatis nobis sit consubstantialis, par etiam quantum ad operatio-

ratio-

* *Videsis PP. Loca act. 6.*

Syn.

rationem erit. Ait quippe B. Gregorius Episcopus Nyssenus: † *Quorum actio una est, horum prorsus & vis eadem.* Omnis enim actus & operatio est potentiæ perfectio. Fieri porro nequit, ut increatæ & creatæ naturæ una sit natura, vis, & operatio. Quod si unam in Christo actionem dixerimus, nihil afferri poterit, quin Verbi divinitati animæ intelligentis affectiones, puta metum, mœrorem, & mortis angores atribuamus.

Si dixerint, equidem sanctos Patres, cum de Trinitate disputarent, hoc adstruxisse, § *quorum una sit essentia, eorum & unam actionem esse: & quorum dispar sit essentia, horum quoque disparem esse actionem*; sed non æquum esse, ut ea quæ de divinitate dicuntur, ad incarnationem detorqueamus; his ita respondebimus. 1 Si de divinitate solum hoc a Patribus dictum est, ac non etiam post incarnationem Filius eandem quam Pater actionem habet, ¶ profecto ne ejusdem cum eo substantiæ erit. At cui tandem

† Greg. Nyss. orat. de natura & hyp. Est etiam inter epist. Basil. 43. § Max. Dial. cum Pyrrho. ¶ Max. ibid.

dem illud assignabimus, § *Pater meus usque modo operatur, & ego operor?* * Et, *quæ videt Patrem facientem, hæc & Filius similiter facit?* Et, *si mihi non creditis, operibus meis credite?* ¶ Et, *opera quæ ego facio ipsa testimonium perhibent de me. Et sicut Pater suscitat mortuos & vivificat: ita & Filius quos vult, vivificat.* Hæc enim omnia non modo eum, etiam post incarnationem, Patri consubstantialem esse ostendunt, & eandem cum illo actionem servare.

2. Ac rursus, si providentia totius universi, non solum ad Patrem & Spiritum sanctum, sed etiam ad Filium, nec non post incarnationem spectat, profecto cum ipsa sit actio, sequitur eum eandem cum Patre actionem habere.

3 Quod si ex editis miraculis Christum ejusdem cum Patre essentiæ esse comperimus; Dei vero actiones miracula sunt; oportet ut etiam post incarnationem ejusdem cum Patre actionis sit.

4. Quod si una divinitatis & carnis ipsius actio

§ *Joan.* 5. *v.* 17. *&* 19. * *Joan.* 10. *v.* 38. *&* 25. ¶ *Joan.* 5. *v.* 21.

actio est, hæc composita erit, atque ita, aut diversam ille a Patre actionem habebit, aut etiam Patris actio composita erit. Si composita ipsius actio fuerit, sane & natura.

Quod si contendant una cum actione personam induci, tum subjungamus: Si una cum actione persona inducitur, consentaneum vicissim est, ut & una cum persona actio inferatur. § Atque ita fiet, ut sicut tres sunt personæ, sive tres sanctæ Trinitatis hypostases, sic tres quoque actiones sint: aut contra, quemadmodum una est actio, ita una quoque persona, & hypostasis. Atqui SS. Patres hoc una voce docuerunt, ea quæ ejusdem substantiæ sunt, ejusdem quoque actionis esse,

Deinde vero, si persona una cum actione infertur, qui nec unam, nec duas Christi actiones dicendas præscripserunt, proinde neque personam quidem ipsius unam, neque duas dicere præceperunt.

Sed & in candenti gladio, uti tum ignis, tum ferri naturæ servantur, ita & duæ

Max. ibid.

duæ actiones, ¶ & earum effecta. Nam & ferrum secandi, & ignis urendi vim habent: ut sectio quidem actionis ferri opus sit, ustio autem ignis: ac discrimen, tum in ferri ardenti sectione, tum in secta ustione servatur; tametsi post hujusmodi unionem, nec ustio citra sectionem sit, nec sectio sine ustione: nec quia duplex est naturalis actio, duos proinde candentes gladios dicimus; nec rursus, quia unus duntaxat incensus est gladius, ob eam causam substantialem horum distinctionem confundimus. Eodem modo in Christo quoque divinitatis quidem ipsius, divina & omnipotens operatio est: humanitatis autem ipsius, humana & nostræ similis. ♑ Humanæ porro actionis opus id fuit, quod manu puellam tenuerit atque traxerit; divinæ autem, quod eam ad vitam revocaverit. Aliud enim hoc, & aliud illud est; tametsi in Theandrica, seu in Dei simul & hominis actione nequeant disjungi. Quod si, quia una Domini persona sive hypostasis est, una quoque operatio futura est

¶ *Max. lib. de duab. vol. & Dial. cum Pyrrho.* ♑ *Luc. 8. v. 54. Id. ibid.*

est; profecto etiam, eo quod una persona sit, una quoque substantia erit.

Et rursus, si operationem unam in Domino dicamus, aut divinam esse, aut humanam, aut neutram fatebimur. Si divinam, Deum tantummodo ipsum nostra vacuum humanitate asseremus. Si humanam, hominem illum purum impie adstruemus. Si denique nec divinam, nec humanam, ne Deum quidem, nec hominem; nec Patri, nec nobis esse consubstantialem statuemus. Contingit enim ex unione identitas secundum hypostasim, nec ob id tamen naturarum discrimen aufertur. Servata autem naturarum distinctione, plane servabuntur etiam earum operationes. Nulla enim natura est actionis expers.

4. Insuper, si una Christi Domini actio est, § aut creata erit, aut increata; neque enim media alia operatio interjectu est, ut nec natura. Quare si creata est, solam creatam naturam indicabit: sin autem increata, solam increatam essentiam exprimet. Nam quæ naturalia sunt,

† *Max. ibid.* § *Max. ibid.*

ea cum naturis congruant necesse est. Neque enim fieri potest, ut natura existitat quæ minime perfecta sit. Cæterum actio naturæ consentanea, ex iis non est quæ extra sunt. Quod exinde perspicuum sit, quod sine operatione naturæ consentanea, nec esse, nec cognosci ulla natura potest. Ex eo enim quod aliquid agit, naturæ suæ argumentum edit, ab eo quod est minime desciscens.

5. Præterea si una Christi actio est, eadem & divinarum & humanarum rerum erit effectrix. Atqui nulla res est quæ in naturali suo statu manens contraria efficere queat. Neque enim ignis refrigerat & calefacit; neque aqua exsiccat, & humectat. Quonam pacto igitur ille qui natura Deus est, & natura factus est homo, unica actione tum miracula ediderit, tum passiones obierit.

6. Quod si Christus mentem humanam assumsit, h. e. animam ratione & intelligentia præditam, cogitavit proculdubio, & semper cogitabit ac proinde quia cogitatio est mentis actio, Christus certe, quatenus homo est, actuosus est, & semper actuosus.

Quia

Quin etiam ſapientiſſimus & magnus ille vir S. Joannes Chriſoſtomus, in Actorum explanatione, homilia ſecunda ſic loquitur: *Haud quiſpiam aberraverit, ſi ipſius quoque paſſionem actionem appellarit. In eo enim quod omnia perpeſſus eſt, ingens illud atque mirandum opus petravit, mortem deſtruens, aliaque omnia operans.*

Jam ſi omnis operatio ita definitur, ut ſit naturæ cujuſpiam ſubſtantialis motus, ſicut harum rerum periti tradiderunt, ubinam tandem aliquis naturam immobilem, aut operationis expertem novit? aut ejuſmodi operationem invenit, quæ potentiæ naturalis motus non eſſet? unam porro naturalem actionem Dei & creaturæ, § nemo prudens conceſſerit, auctore B. Cyrillo. Nec enim humana natura Lazarum a mortuis excitat; * nec rurſus lacrymatur divina potentia (lacrymæ ſiquidem humanitatis propriæ ſunt; veræ illius ac ſubſiſtentis vitæ) ¶ ſunt tamen utraque his communia, quia una

† *Hom.* 1. *in acta.* § *Lib.* 32. *Theſ.* c. 2 *Creatur. act.* 10. *ſext. ſynod.* * *Joan.* 11. v. 1. ¶ *Leo ep.* 10.

eademque persona est. Nam unus quidem Christus est, atque una ejus persona, seu hypostasis: cæterum duas naturas habet, deitatis nimirum & humanitatis suæ. Et quidem claritas naturaliter ex divinitate prodiens, utrique substantiæ communis effecta est ob personæ identitatem; & rursus ob carnem, quæ humilia erant, utrique naturæ communia fuere. Unus enim & idem est, qui & hoc & illud est, nempe Deus & homo; ejusdemque sunt, tum quæ divinitati, tum quæ humanitati conveniunt. Etenim divina signa edebat, at non sine carne: caro rursus humilia, at non seorsim a divinitate. Nam & patienti carni conjuncta erat divinitas, impassibilis perseverans, passionesque salutares reddens & perficiens: ac rursus operanti Verbi divinitati mens sancta copulata erat, cogitans & intelligens ea quæ peragebantur.

Ac divinitas quidem corpori prærogativas suas impertiebat; cum interim ipsa corporis dolorum immunis maneret. Non enim, quemadmodum Verbi divinitas per carnem operabatur, ita etiam per divinitatem

tatem caro ipsius perpetiebatur. Divinitatis enim organum caro fuit. Quanquam igitur a prima conceptione nullum omnino inter, utramque formam divino locum invenit verum unius personæ actiones, quovis tempore editæ sint, utriusque formæ exstiterunt; nos tamen ea quæ citra separationem gesta sunt, nullo modo confundimus, sed quid cujusque formæ esset ex operum qualitate cognoscimus.

Quocirca Christus secundum utramque naturam suam operatur, ac in eo utraque natura cum alterius communione operatur: † Verbo nimirum quæ Verbi sunt, cum auctoritate & potentia deitatis efficiente; hoc est regia omnia & quæ principatum decent: corpore autem, quæ sunt corporis exsequente, ad Verbi sibi uniti, cujus etiam proprium factum est, arbitrium. Neque enim suopte natu ad naturales affectus prosiliebat, nec rursus molesta refugiebat, ac detrectabat, aut ea quæ externe ingruebant, patiebatur; sed secundum naturæ conditionem movebatur. Verbo volente, cer-

† *Leo ep. cit.*

toque consilio permittente ipsum pati & agere quod proprium erat, ut per opera veritati naturæ fides adstrueretur.

Quemadmodum autem supra quam substantia ferat, virgineo partu substantiam induit, ita etiam supra quam ferat humana conditio: § ea quæ hominum sunt agebat, ut cum in fluxa minimeque stabili aqua terrenis pedibus gradiebatur, non utique instar aqua obdureſceret, sed ut super excellenti divinitatis potentia ita compararetur, ut nequaquam diffluereret, nec corporeorum pedum gravitati cederet. Non enim humano more humana factitabat, qui non homo solum, verum & Deus esset (unde passiones quoque ipsius vivificæ fuerunt & salutares) nec divina rursum divino modo agebat; quippe qui non Deus tantum, sed insuper homo erat: quamobrem tactu, & sermone, aliisque ejusmodi adminiculis, divina signa patrabat.

Sin autem quis dicat: * non submovendæ humanæ actionis gratia unam in Christo ac-

Alio-

§ *Dion. cap. 2. de div. nom. & cp. 4.*

* *Max. Dial. cum Pyrrho.*

ctionem dicimus; ſed quia humana actio, ut contra divinam actionem diſtinguitur, dicitur paſſio, hacque ratione unam in Chriſto actionem docemus; Reponemus, eadem quoque ratione illos qui naturam unam aſſerunt, non tolendæ humanæ cauſa hanc adſtruere; ſed quia humana natura, cum ex adverſo divina natura diſtinguitur, patibilis dicitur. Abſit autem hoc a nobis, ut ad humanam actionem a divina diſtinguendam, humanum motum paſſionem appellemus. Nulius enim rei, ut univerſe dicam, exſtantia aut ſtatus ex comparatione & collatione cognoſcitur, aut definitur. Hoc enim pacto res quæ ſunt, ſibi mutuo cauſæ eſſe invenitentur. Nam ſi, quia divinus motus actio eſt, idcirco efficitur ut humanus paſſio ſit, proculdubio etiam mala erit natura humana, quia divina bona eſt. Et viciſſim e contrario, ſi quia humanus motus paſſio dicitur, divinus proinde motus actio cenſetur, ita etiam divina natura bona erit, quia humana mala eſt: atque ita creaturæ omnes malæ erunt, mentituſque reperietur ille qui dixit: *Et vidit*

Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.

Dicimus itaque, sanctos Patres pro subjectis sibi considerationibus humanum motum variis modis appellasse. Eum siquidem & potentiam, † & operationem, & differentiam, & motum, & proprietatem, & qualitatem, & passionem nominarunt: non ideo tamen ut illum contra divinum motum distinguerent; verum potentiam quidem, ut vis est conservatrix & invariabilis; operationem autem, ut quæ certa nota rem exprimit, & undique absolutam in omnibus quæ ejusdem speciei sunt, similitudinem declarat; differentiam vero, ut discriminantem; motum, ut manifestantem; proprietatem, ut constituentem, & quia illi soli, & non alii insit; qualitatem rursus, ut informantem; passionem denique, quia movendo fit. Omnia enim, quæ ex Deo, & post Deum sunt, ea ratione patiuntur, qua moventur: ut pote quæ non ipsa motio, nec ipsa virtus sunt. Quare, sicut dictum est

Gen. 2. v. 31.

† *Maximi responsio, in eod. Dialog.*

est, non ut ex adverso distinguerent, ita huncuparunt, sed secundum rationem quæ illi ab universorum effectrice causa conditoris more indita fuit unde etiam eam cum divina enuntiantes, actionem apellarunt. † Nam qui dixit: „ Agit enim utraque "forma cum alterius communione, quid a- "liud fecit, § quam qui dixit: * *Et cum je-junasset quadraginta diebus, postea esurijit.* ¶ (dedit enim naturæ quando voluit, ut quæ sua erant ageret) aut qui diversam in ipso actionem prædicarunt, aut qui duplicem, aut qui aliam atque aliam? Hæc quippe mutatis nominibus seu per antonomasiam actiones duas significant. Nam & numerus haud raro permutatione nominum indicatur; quemadmodum & dicendo, quod divinum & humanum est. Differentia enim rerum earum est differentia, quæ inter se differunt; quo autem pacto differant, quæ non sunt?

† *Leo epist.* 10. § *Matth.* 4. *v.* 2., *Nyss. adv. Apoll.* ¶ *Chrisost. hom. in S. Thom. Cyrill. in Joan. l.* 8.

Adversus eos qui dicunt, si duplicis naturæ & actionis est homo, necesse est tres esse in Christo naturas, totidemque actiones dicere

CAP. XVI.

QUivis homo, cum ex naturis duabus puta anima & corpore, compositus sit, eaque in seipso invariabilia habeat, duæ subinde naturæ dicetur. Amborum enim proprietates, etiam post unitionem retinet. Neque enim corpus immortale est, sed interitui obnoxium; nec anima mortalis, sed immortalis: nec rursum corpus invisibile est, nec anima oculis corporeis conspici potest: sed hæc quidem rationalis, intelligens, & incorporea est; illud autem crassum, aspectabile, & ratione carens. Non unius autem naturæ sunt ea, quæ essentiæ ratione ex opposito dividuntur: non ergo anima & corpus ejusdem sunt essentiæ.

Ac rursus, si animal rationale, mortale, homo est; omnis autem definitio subjectas naturas explicat: profecto cum non idem natura sit rationale atque mortale, sequitur ergo ut secundum definitionis suæ normam, ho-

homo non ſit unius naturæ.

Quod ſi quandoque unius naturæ homo eſſe dicatur, tunc ſpeciei loco naturæ nomen uſurpatur; ut dum dicimus, nulla naturæ differentia hominem ab homine diſcrepare; imo cum eodem modo omnes homines coagmentati ſint, ex anima & corpore compoſiti, ſingnlique duæ ſint naturæ, ſub unam proinde definitionem redigi. Neque id a ratione alienum videtur; quippe cum ſacer Athanaſius, in ea Oratione, quam ſcripſit adverſus illos; qui Spiritum ſanctum impie deprimebant, unam omnium rerum conditarum, qua ſunt conditæ, naturam eſſe dixerit, ad hunc modum loquens: « Quod autem Spiritus ſanctus ſupra res « creatas emineat, aliudque ſit præter crea« turarum naturam, ac proprius divinitatis, « hinc rurſum perſpicere licet. † Quidquid enim communiter, & in multis conſideratur, nec alicui uberius, alicui parcius ineſt, eſſentia nominatur. Quia igitur omnis homo ex anima & corpore compoſitus eſt, ob eam cauſam una omnium natura dicitur.

In

† *Epiſt. 2. ad Serap. verſus finem.*

In Domini autem persona naturam unam dicere non possumus. Nam & utraque natura proprietatem naturalem, etiam post unitionem, retinet; nec Christorum speciem reperire sit. Neque enim alius ex divinitate & humanitate Christus existitit, qui idem Deus esset & homo.

Ac rursus: non idem est secundum speciem unum esse, atque unum esse secundum corporis & animæ substantiam. Siquidem unum secundum hominis speciem, exactissimam in omnibus hominibus similitudinem ostendit: at unum secundum animæ & corporis essentiam, ipsum illorum esse interimit, eaque prorsus in nihilum redigit. Aut enim alterum in alterius essentiam migrabit, aut ex aliis aliud efficietur, ac sic ambo mutabuntur, aut intra metas suas consistentia duas naturas constituent. Non enim quantum ad essentiam attinet, idem sunt corpus & res incorporea. Quocirca necesse non est, ut, qui unam in homine essentiam dicimus, non propterea quod eadem qualitas sit animæ & corporis, sed propter exactissimam individuorum quæ ad eandem speciem

referuntur æqualitatem, unam quoque in Christo, ubi species ejusmodi nulla est, qua multæ personæ contineantur, dicamus naturam.

Huc accedit, quod omnis compositio ex his quæ proxime componuntur, constare dicitur. Non enim domum ex aqua & terra, sed ex lateribus & lignis constructam esse dicimus. Alias dicendum foret hominem ex quinque ut minimum naturis conflatum esse; nempe ex quatuor elementis & anima. Sic & in Domino nostro Jesu Christo, non partium partes spectamus, sed quæ proxime composita sunt; hoc est divinitatem & humanitatem.

Deinde vero, si, quia hominem duabus naturis constare dicimus, tres proinde in Christo naturas dicere cogemur, vos quoque qui ex duabus naturis hominem esse dicatis, Christum ex tribus naturis compositum esse itidem asseretis. Quod etiam de actionibus dicendum erit: § consentanea enim naturæ actio sit oportet. Quod autem homo duplicis naturæ dicatur & sit, testis

§ Epist. 1. ad Cledon.

est Gregorius Theologus: "† Duæ enim, "inquit, naturæ sunt, Deus & homo: "quandoquidem duæ quoque anima & cor- "pus. Ac rursus in Oratione de Baptismo "hæc ait: "Cum autem duplici natura con- "stemus, anima nimirum & corpore, alte- "ra quidem visibili, altera autem invisibili, "duplex quoque est baptismus, nempe per "aquam & spiritum.

† *Orat.* 4. *non longe a princip.*

De eo quod carnis Domini natura & voluntas deificata sit. CAP. XVII.

ILlud autem scire operæ pretium est, quod Domini caro deificata sit, ejusdemque deitatis consors, quin & Deus esse dicitur (sic enim Gregorius Theologus loqui- "tur) †,, quorum alterum deitate donavit, "* alterum deitate donatum est, &, auda- "cter dicam, ejusdem deitatis consors. Quod- "que & id quod unxit, homo factum sit, & Deus, id quod unctum est. Non ob tu-

† *Greg. orat.* 42. * *Id. orat.* 39. *Max. lib. de duab. vol. apud Euthi.*

turæ immutationem, aut conversionem, aut alterationem, aut confusionem ista dicuntur. Nec enim hæc verba naturæ mutationem ullam significant, sed potius dispensationis unionem, seu secundum hypostasim, quatenus ita Deo conjuncta est, ut ab eo divelli non possit: atque ob id etiam quod naturæ inter se vicissim immeant, veluti ferri quoque dicimus ignitionem. Velut enim humanationem citra mutationem & conversionem confitemur; sic item carnis deificationem factam esse censemus. Neque enim quia Verbum caro factum est, propterea e divinitatis suæ gradibus, divinisque illi competentibus dotibus excessit: nec rursus caro deificata, a natura sua vel naturalibus suis proprietatibus descivit. § Nam post unitionem, tum naturæ inconfusæ, tum earum illæsæ proprietates sunt. Caro autem Domini divinarum actionum opibus affluxit, ob sinceriſſimam illam cum Verbo unionem, quæ est secundum hypostasim: sic tamen ut proprietatum naturaliumjactutam nullam pertulerit. Non enim propriæ vi

§ *Max. epist. ad Nicandr.*

vi, sed ob unitum sibi Verbum divina patrabat; Verbo nimirum vim suam per illam exerente. Nam & candens ferrum eo non urit, quod urendi vi a natura polleat, sed quod ex conjunctione cum igne vim eam contraxerit.

Itaque eadem caro suapte natura mortalis erat, & ob hypostaticam cum Verbo unionem, vitam conferebat. † Consimili modo voluntatis quoque deificationem docemus, § non quod naturalis motio immutata fuerit, sed quod divinæ ipsius ac prepotenti voluntati unita sit, Deique facti hominis voluntas evaserit. Quo etiam factum est, ut cum latere vellet, id ex se non potuerit: quia nempe Deo Verbo placebat, ut vere sibi inesse humanæ voluntatis infirmitatem ostenderet. Rursumque volendo leprosi mundationem patravit, propter unionem cum divina voluntate.

Sciendum autem est, naturæ & voluntatis deificatione, perquam liquido & expresse duas naturas & voluntates declarari. Si-

† *Greg. Naz. orat.* 25. P. 595. § *Mar.* 9. v. 24. * *Matth.* 8. v. 3.

Sicut enim ignitio, non rei ignitæ naturam in ignis naturam mutat, verum & id quod ignitum est, & id quod ignitum fecit, ostendit: nec ünius tantum, sed duorum index est: sic etiam deificatio non unam compositam naturam facit, sed duas, unionemque secundum hypostasim. Ait quippe Theologus Gregorius: „§ Quorum alterum deificavit, alterum deificatum est. Dicendo enim, *Quorum*, & *alterum*, atque *alterum* duas profecto res indicavit.

§ *Greg. Naz. orat.* 42.

Iterum de duplici voluntate, arbitriique libertate; mente item, scientiaque & sapientia duplici. CAP. XVIII.

QUandoquidem Christum perfectum Deum ac perfectum hominem dicimus, plane omnia quæ tum Patri, tum matri naturalia sunt, ei tribuamus. Homo quippe factus est, ut quod victum fuerat vinceret. Haud enim ejus imbecillitatis erat ille, qui omnia potest, quin omnipotenti sua virtute hominem ex tyranni domi-

natu eripere valeret. Verum tyrannus querelæ occasionem habuisset, si postquam hominem ipse vicerat, illata vi a Deo spoliatus esset. Quocirca Deus pro sua misericordia, & erga homines benevolentia, homo fit, quo simile similis opera instauret.

Quod autem homo sit animal ratione & intelligentia præditum, nemo ierit inficias. Quinam igitur factus est homo, si carnem inanimatam, aut expertem mentis animam susceperit? Hoc enim nequaquam homo est. Quid vero rursum ex assumta ab eo humanitate emolumenti ad nos rediit, si illi qui primario contraxit labem, salus allata non est; neque id actum fuit, ut per conjunctionem cum divinitate innovaretur, & robur obtineret? * Nam curatum non fuit, quod assumtum non est; quapropter totum hominem assumsit, illamque adeó ipsius partem quæ præstantissima erat, & obnoxia morbo fuerat, ut toti salutem largiretur. Nulla porro mens usquam fuerit, quæ sapientia & cognitione destituta sit. Nam si iners & sine motu, nulla prorsus ratione exsistit. Ita-

* *Greg. Naz. ad Cledon.*

Itaque Deus Verbum, id quod ad sui imaginem erat instaurare volens, factus est homo. Quid vero illud fuit quod esset ad imaginem, † præterquam mens? Itane omisso potiori, quod deterius erat assumsit? Mens siquidem in Dei & carnis meditullio est: carnis nimirum, ut contubernalis; Dei autem, ut imago. Mens itaque menti jungitur, atque inter Dei puritatem & carnis crassitiem intercedit. Nam si Dominus animam mente vacuam assumsit, bruti utique animam assumsit.

Quod si Evangelista *Verbum carnem factum fuisse* dixit, § sciendum, est in sacra Scriptura animam nonnunquam hominem appellari, ut in illo loco, * *in septuaginta quinque animabus ingressus est Jacob in Ægyptum*. Nonnunquam item carnem, ut est illud: ¶ *Videbit omnis caro salutare Dei*. Ac proinde Dominus, non caro in anima, nec mente vacua, sed homo factus est. Ait quip-

T 2

† *Greg. Naz. Carm. senar. adv. Apollin. epist. ad Cled. & alibi.* § *Gen.* 46. *v.* 27. *ap. Lxx. act.* 7. *v.* 14. * *Isai.* 40. *v.* 15. ¶ *Luc.* 3. *v.* 6.

quippe ipse: § *Quid me cædis, hominem qui veritatem locutus sum vobis?* Assumsit igitur carnem anima rationali & intelligente animatam, quæque, sicut carnis principatum tenebat, ita rursus divinitati parebat, ab ea que regebatur.

Atqui ille quidem naturaliter, & ut Deus, & ut homo, habebat ut vellet: cæterum divinam ipsius voluntatem humana sequebatur, eique subdita erat, ut quæ propria sententia non moveretur, verum ea demum vellet, quæ divina ejus voluntas ipsam volebat velle. Permittente siquidem divina voluntate, naturaliter ea quæ sibi propria erant patiebatur. Etenim cum mortem detrectaret, hanc divina ipsius voluntate ita ferente & concedente, naturaliter detrectabat, atque in mortis agonia erat. Rursus divina ipsius voluntate volente, ut humana voluntas mortem amplecteretur, voluntaria ipsi passio fuit. Non enim qua Deus duntaxat morti se sponte tradidit, sed etiam quatenus homo. Unde nobis etiam ani-

§ *Joan. 8. v. 14. & 18. v. 23.* † *Sophron. epist. synod.*

animi audaciam adversus mortem comparavit. Ita quippe ante salutiferam passionem suam loquitur: † *Pater si fieri potest, transeat a me calix iste*. § Illud porro constat, quod ut homo calicem bibiturus erat: non enim ut Deus. ¶ Quare tanquam homo calicem transire vult. Hæc autem verba a naturali metu, & imbecillitate profecta sunt. *Veruntamen*: inquit, *non mea voluntas fiat*, hoc est, qua ratione diversæ a te sum substantiæ: *sed tua*, hoc est mea, quatenus eadem mihi ac tibi substantia est. Quæ quidem iterum fortis animi verba sunt. Etenim anima Domini, qui benigna tua voluntate homo vere factus erat, cum naturalem infirmitatem ante experta esset, percepto doloris sensu ex corporis disjunctione, divina rursum voluntate corroborata, adversus mortem audaciam concipit. Nam quia & totus Deus erat cum sua humanitate, & totus homo cum sua divinitate, ipse tanquam

† *Matth.* 26. *v.* 39. § *Luc.* 22. *v.* 42. ¶ *Locus sæpe ab Athanasio, Nazianz. & Chrisostomo, expositus & cit. act.* 10. *sextæ synodi.*

homo in se & per se id quod humanum erat, Deo & Patri subjecit, & Patri factus obediens, præstantissimam sese nobis formam & exemplum præbuit.

Libere porro volebat tum divinæ, tum humanæ voluntatis ratione. Omni quippe naturæ rationali libera voluntas a natura insita est. Quorsum enim alioqui partem rationalem habebit, si non libere ratiocinatur? Nam naturalem quidem appetitum summus opifex brutis etiam indidit, quo ad suæ naturæ conservationem necessitate ducuntur. Cum enim ratione careant, ducere non possunt, verum naturali ducuntur appetitu. Ex quo fit, ut simul atque appetitus oritur, statim ad agendum prosiliant. Neque enim ratione aut consilio, aut consideratione, aut judicio utuntur, Ac proinde nec velut virtuti studentia laudantur, ac beata censentur; nec tanquam malum agentia plectuntur. Natura vero rationalis, habet quidem naturalem appetitum, qui moveatur; ejusmodi tamen, ut in iis quæ naturæ consentaneam rectitudinem servant, a ratione gubernetur ac componatur. Rationis enim præ-

præcellentia hæc est, liberæ potestatis voluntas: quam quidem naturalem motum in substantia rationali dicimus. Eaque de causa & cum virtutem colit, laudem obtinet, ac beata prædicatur; & cum se vitio dedit, punitur.

† Ergo volebat quidem Domini anima libere excitata; ‡ sed ea libere demum volebat, quæ divina ipsius voluntas velle eam volebat. Non enim Verbi nutu caro movebatur, juxta ac Moses & Sancti omnes divino nutu movebantur: verum idem ipse, cum & Deus & homo esset, tum divina, tum humana voluntate volebat. Ob eam causam non consilio ac sententia, sed naturalis potius facultatis ratione, duæ Domini voluntates inter se dissidebant. Etenim divina ejus voluntas, principii expers, omnisque rei effectrix erat, ut pote comitem potentiam habens, & pati nescia. At humana ipsius voluntas, tum ipsa in tempore initium habuit, tum eas passiones sustinuit, quæ naturales & innocuæ erant.

† *Max. Dial. cum Pyrrho.* ‡ *Greg. Naz. Ep. ad Cled.*

Ac natura quidem omnipotens non erat; ut autem Dei Verbi vere ac naturalis facta erat, nihil quoque ipsa non poterat.

De Theandrica, seu deivirili actione.

§ CUm B. Dionysius Christum novam quamdam Theandricam, seu Dei simul & viri, actionem nobiscum obiisse dicit, non ut naturales actiones tollat, unam ex humana & divinales actiones tollat, unam ex humana & divina actionem conflatam docet (ad hunc enim modum unam quoque novam naturam ex divina & humana affectam diceremus; quia quorum actio una est, horum etiam, ut sentiunt Patres, una est essentia) verum ita loquitur, † ut novum illud & arcanum modum, quo naturales Christi actiones se explicant, arcano illi mutuæ naturarum ipsius immeationis modo congruentem, humanum item vitæ genus novum & admirabile, inque rerum natura incognitum; ac denique alte-

§ *Dionys. epist. 4.* † *Max. Dial. cum Pyrrho.*

re illius communicationis, quæ ex ineffabili unitione oritur, rationem indicaret. † Non enim aut sejunctas actiones, aut naturas divisim operari dicimus, sed conjunctim utramque cum alterius communione illud quod quæque proprium habet agere. Neque enim humana humanitus efficiebat, cum purus homo non esset; nec rursus divina divino duntaxat modo, quandoquidem non solum Deus erat, sed Deus simul & homo. Nam uti naturarum tum unionem, tum naturalem distinctionem habemus, ita etiam naturalium voluntatum & operationum.

Itaque sciendum est, in Domino nostro Jesu Christo nos interdum, tanquam de duabus naturis sermonem habere, interdum tanquam de una persona: atque hoc & illud ad eundem sensum refertur. Nam & duæ naturæ unus Christus est; & unus Christus, duæ naturæ. Itaque dicere, agit Christus secundum utramque naturam, perinde est, ac cum dicimus, agit utraque natura in Christo cum alterius communione. Quare di-

† *Leo epist.* 10. *ad Flav.*

vina quidem natura eo nomine cum carne operante communicat, quod caro divinæ voluntatis beneplacito, quæ ipsi propria sunt, pati & agere sinatur, quodque carnis actio prorsus salutifera sit; id quod non humanæ, sed divinæ potius actionis est. At caro viciſſim cum operante Verbi divinitate communicabat, tum quia per corpus veluti per instrumentum quoddam, divinas actiones efficiebat; tum quia unus idemque erat, qui & divino simul, & humano modo operabatur.

Scire autem attinet, sanctam quoque ipsius mentem naturales suas actiones exsequi. Nam & se Dei mentem esse, atque ab omnibus rebus conditis adorari cogitat & agnoscit, ac eorum quæ in terra gessit & pertulit, recordatur. Cæterum cum operante Verbi deitate, qua cuncta reguntur & gubernantur, communicat, omnia intelligens, cognoscens, & administrans, non ut simplex & nuda mens hominis, sed sua quæ Deo secundum hypostasim unita sit, Deique mens exsistat.

Nihil igitur aliud theandrica actio declarat

rat, quam quod Deo facto viro, hoc est, incarnato, humana quæque ipsius actio divina erat, sive deificata, nec divinæ ipsius operationis expers: rursumque divina ipsius actio humanæ ipsius actionis exsors non erat; verum utraque una cum altera considerabatur. § Porro modus hic loquendi περιφραστικὸς dicitur, quando quis duo quædam una dictione complectitur. Quemadmodum enim igniti gladii incisam unam ustionem, atque inustam sectionem dicimus, & tamen sectionem distinctam ab unione esse, nec non alius aliusque naturæ asserimus, ignis nempe ustionem, ac ferri; sectionem; ad eundem modum Theandricam unam Christi actionem dicentes, duas earumdem ipsius naturarum actiones intelligimus; divinitatis videlicet ipsius, divinam, humanitatis autem, humanam actionem.

§ *Max. Tom. dogm. ad Marin p.* 42.

De *naturalibus & inculpatis passionibus.*

CAP. XX.

Chri-

CHristum porro naturales, minimeque reprehendendas hominis passiones assumsisse confitemur. §Nam suscepit totum hominem, & quæcumque hominis sunt, excepto peccato. Neque enim istud naturale est, neque a creatore nobis insitum; verum superferente diabolo in libera nostra voluntate exsurgit, non tamen ut per vim nobis dominetur. Naturales porro & inculpatæ passiones hæ sunt, quæ in arbitrio nostro sitæ non sunt; quæ nimirum inviolati præcepti pœnam humanæ vitæ irrepserunt: velut fames, sitis, defatigatio, labor, lacrymæ, interitus, mortis fuga, metus, & agonia, ex qua sudores & sanguinis guttæ; auxilium ob naturæ infirmitatem ab Angelis allatum, aliaque id generis, quæ quidem natura universo hominum generi conveniunt.

Omnia igitur assumsit, ut omnibus sanctitatem conciliaret. Tentatus est, vicitque, ut victoriam nobis pararet, adversarioque vincendi vim naturæ conferret: quo videlicet natura jampridem victa, per quos insultus superata fuerat, suo tandem victori victoriam extorqueret.

§ *Matth.* 13. *v.* 28 Cæ-

Cæterum malus ille, extrinsecus, non suggestis cogitationibus Christum adortus est, quemadmodum & Adamum. Nam ne illum quidem per immissas cogitationes, sed per serpentem impetivit. Dominus autem adversarii conatum propulsavit, & instar fumi discussit: ut quæ ipsum invaserunt passiones, atque ab eo superatæ sunt, a nobis etiam facile vinci possent, sicque adeo novus Adam veterem salvaret.

Denique naturales passiones nostræ, & secundum naturam in Christo erant, & supra naturam. Etenim secundum naturam in illo ciebantur, cum naturam pati sineret quæ carni erant propria: supra naturam autem, quia in Domino, quæ naturalia erant, voluntatem minime prævertebant. Neque enim coactum quid in eo conspicitur, sed omnia voluntaria. Volens enim fame, volens siti, volens metu, volens morte affectus est.

De ignorantia & servitute. CAP. XXI.

NOsse oportet Christum ignorantem & ser-

servam naturam assumsisse. Hominis quippe natura Dei conditoris sui serva est, nec futurorum pollet scientia. § Quare si de Gregorii Theologi sententia, id quod videtur ab eo quod mente percipitur, distinxeris, serva & ignorans caro dicitur. Verum ob personæ identitatem atque individuam unionem, Domini anima futurorum cognitione, ut & reliquis mirabilibus locupletata est. Velut enim hominum caro suapte natura secundum hypostasim vivifica non est; Domini autem caro Deo Verbo unita, non quidem a naturali mortalitate exemta fuit, sed tamen ob hypostaticam cum Verbo unionem vivifica facta est, nec dicere fas est, eam, vel non vivificam fuisse vel non semper esse: sic humana natura, suapte quidem essentia futurorum notitiam non habet; at Domini anima ob unionem cum ipso Deo Verbo & hypostasis identitatem, ut reliquorum miraculorum potestate, sic etiam futurarum rerum, ut dixi, cognitione deitata fuit.

Illud quoque sciendum est, cum ne servum

§ *Greg. Naz. orat.* 36.

vam quidem dicere non posse: servitutis enim & dominationis vocabula non naturas, sed quæ ad aliquid referuntur, indicant, ut paternitatis & filiationis voces. Hæc enim non essentiam, sed relationem declarant. Sicut ergo de ignorantia a nobis dictum est, si exilibus cogitationibus, hoc est subtilibus animi considerationibus, id quod creatum est, ¶ ab increato sejunxeris, servilis est caro, nisi Dei Verbo copulata esset. At cum semel secundum hypostasim unita sit, quonam pacto serva erit? Cum enim Christus unus sit, ipsiusmet profecto & servus & Dominus esse non potest. Hæc enim non ex iis sunt quæ absolute dicuntur, sed quæ relatione ad alterum. Cujusnam igitur servus erit? Patrisne? Ergo non omnia quæ habet Pater, Filii quoque sunt. Siquidem Patris servus est, sui autem ipsius minime. Quonam autem modo de nobis, qui per eum adoptati sumus, Apostolus ait; ♄ *Itaque jam non est servus, sed filius*, siquidem ipse servus exsistat? Ex quo patet eum appellatione sola dici ser-

¶ *Greg. Naz. orat.* 24. ♄ *Gal.* 4, *v.* 7.

fervum, cum hoc minime sit, verum nostri causa servi formam susceperit, servusque nobiscum sit vocatus. Nam cum ab omni passione immunis esset, nostri causa passionibus servivit, salutisque nostræ ministerio perfunctus est. Illi autem qui servum eum dicunt, unum Christum ad instar Nestorii in duos dividunt. At nos herum ipsum dicimus, omniumque creaturarum Dominum, unum Christum, eumdem simul Deum atque hominem, & qui sciat omnia. ¶ *In ipso enim sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.*

¶ *Col.* 2. *v.* 3.

De profectu. CAP. XXII.

* PRoficere autem sapientia & ætate & gratia idcirco dicitur, quod ætate quidem creseceret; ¶ per ætatis autem augmentum, sapientiam quæ in se erat, in lucem proferret; ac propterea quod homo num in sapientia & gratia progressum, per

* *Luc.* 2. *v.* 52. ¶ *Greg. Naz. orat.* *Id. orat.* 36.

ternæque voluntatis expletionem, hoc est, hominum in Deum fidem atque salutem, profectum suum duceret, ubique quod nostrum erat sibi vindicans. Qui autem sic eum sapientia & gratia profeciſſe ajunt, tanquam horum incrementum acciperet, non a primo carnis ortu factam esse unionem asserunt, nec unionem secundum hypostasim tuentur; verum vaniſſimo Nestorio potius auscultantes, unionem quandam secundum affectionem & respectum, ac nudam inhabitationem prodigiose fingunt, † *nescientes nec quæ dicunt, nec de quibus affirmant.* Nam si caro a primo statim ortu vere Deo unita est; imo potius in ipso exstitit, & identitatem secundum hypostasim cum eo habuit; qui fieri potuit, ut non omnibus prorsus sapientiæ gratiæque dotibus affluxerit? Non quidem ut gratiam participaret, nec per gratiam in communionem eorum quæ verbi erant veniret; quin potius ob unionem illam secundum hypostasim, cum humana divinaque unius Christi propria facta essent, quippe qui Deus simul homoque

† 1. *Tim.* 1. *v.* 7.

erat, gratiam & sapientiam, & bonor
omnium plenitudinem fontis instar muc
profuderit.

De Timore. CAP. XXIII.

TImoris nomen duplicem habet int
lectum. * Est enim timor naturali
quando anima sejungi non vult a corp
ob naturalem affectionem & necessitudine
qui ex ipsomet ortu ab opifice ei insita est
qua fit ut naturaliter pertimescat, angatur
& mortem recuset. Cujus timoris hæc d
finitio est: Timor naturalis est vis fu
esse vindicandi cum contractione. Na
quia cuncta ex nihilo a conditore rerum
producta sunt, idcirco naturaliter esse ap
petunt, haudquaquam vero non esse. H
autem a natura proprium est, ut in ea fe
rantur, quorum ope consistunt. Quocirc
Dei quoque Filius, cum factus esset, ho
mo, hunc appetitum habuit; suam quide
erga illa quæ naturam constituunt propen
onem ostendens, tum cibi potusque, & lo
inc

* *Max. Dial. cum Pyrrho.*

mni cupiditate, tum facto horum ex naturæ legibus periculo; in iis autem quæ interitum pariunt, fugam prætendens, ut passionis tempore mortis timore voluntarie compressionem admiserit. Quanquam enim naturæ lege fiebant, quæ fiebant; at non ut in nobis vi & necessario. Ea siquidem quæ natura erant, sponte & lubens suscepit. Ac proinde metus hic, & trepidatio, favorque, naturalis & inculpata, nec subjecta peccato affectio est.

Et rursum aliud timoris genus, quod ex cogitationum defectione & diffidentia, exque eo quod quis mortis horam ignoret, exsurgit: ut cum noctu, oborto aliquo strepitu, timore afficimur: qui quidem timor non naturalis est, sicque definitur: Timor non naturalis, est improvisa animi contractio. Hunc porro timorem Dominus non assumsit. Quapropter nunquam timuit, nisi passionis tempore: etsi alioqui certo consilio sæpe se subduxit. Non enim tempus ignorabat.

Quod autem vere timuerit, § testis est

§ *Orat. adv. Apollin.*

S. Athanasius in oratione adversus Apolli-
narium his verbis, „ Ob eam causam di-
„ cebat Dominus: *nunc anima mea turbata*
„ *est*. Quod autem ait, *nunc*, idem est ac
„ cum voluit. Attamen id quod erat osten-
„ dit. Non enim illud quod non erat, ac
„ si adesset, nominavit: perinde scilicet ac
„ si in speciem duntaxat fierent ea quæ di-
„ cebantur. Natura enim ac vere omnia fie-
„ bant. Ac post alia. § Nullo autem mo-
„ do divinitas passionem recipit sine corpo-
„ re quod patiatur, nec sine anima quæ tri-
„ stetur ac turbetur, turbationem mœro-
„ remque ostendit: neque anxia est, & ex-
„ xorat mente nequaquam anxia & exora-
„ te. Etenim quamvis non victæ naturæ
„ consternatione ista contingerent, attamen
„ facta sunt ut quis esset palam innotesce-
„ ret. Quod autem non naturæ succumben-
tis ignavia contingerent, quæ fiebant,
hinc linquet quod haud invitus ea sustinue-
rit.

§ *Id. orat. de salut. adv. Christi. versus finem.*

Di

De Domini oratione. CAP. XXIV.

ORatio est ascensus mentis in Deum: aut eorum quæ consentanea sunt postulatio a Deo. Qui ergo fiebat ut Dominus in Lazari suscitatione ac passionis tempore oraret? neque enim sancta ipsius mens elevatione in Deum egebat, quippe quæ semel Deo secundum hypostasim unita esset: nec rursum ei opus erat, ut quidquam a postularet (unus enim est Christus) verum quia personam nostram sustinebat, id quod nostrum erat in seipso exprimens, sese nobis exemplum præbuit, docendo nos a Deo postulare & mentes ad illum erigere, perque sanctam mentem suam ascensum nobis ad Deum muniendo. † Quemadmodum enim passiones tolerabat, ut nobis adversus eas victoriam compararet: eodem modo ideo precatus est, ut nobis sicut dicebam, ascensum ad Deum sterneret, & pro nobis, velut Joanni aiebat, justitiam omnem impleret, nosque cum Patre reconciliaret: sic etiam ut eum seu principium & caulam sui ho-

† *Greg. Naz. orat.* 36.

honore afficeret, seque Deo minime adversari commonstraret. Nam quando Lazari causa dicebat: § *Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me. Ego autem sciebam quia semper me audis:* ¶ *sed propter populum qui circumstat,* † *ut credant quia tu me misisti;* annon cuivis perspicuum est, eum non alia de causa his verbis usum esse, nisi ut Patrem, tanquam sui principium & causam honoraret, seque Deo nequaquam adversari ostenderet.

* Rursus cum ita loquebatur: *Pater si possibile est, transeat a me calix iste.* " *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu,* annon quisvis liquido perspicit, eum idcirco sic esse loquutum, ut nos Dei solius opem in tentationibus implorare, divinamque voluntatem nostræ anteponere doceret: insuper ut ostenderet, ea quæ nostræ naturæ erant, vere sua fecisse, duasque voluntates, naturales quidem illas, naturisque ipsius con-

† *Math.* 3. *v.* 15. § *Joan.* 11. *v.* 42. ¶ *Greg. Naz. orat.* 42. † *Chrys. hom.* 65. *in Joan.* * *Math.* 26. *v.* 39. *Chrys. in cat. in cap.* 26. " *Math. v.* 39.

congruentes, cæterum nequaquam contrarias vere habuisse. *Pater*, inquit tanquam ejusdem cum ipso substantiæ, *si possibile est*; non velut ignoraret ita loquens (ecquid enim Deo impossibile esse queant?) verum ut nos exinde voluntati nostræ divinam anteferre disceremus. Hoc enim solummodo impossibile est, quod Deus non vult, nec permittit. *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Tanquam Deus, eandem cum Patre voluntatem habet: & velut autem homo, humanitatis voluntatem naturaliter ostendit. Hæc enim naturaliter mortem refugit.

† At vero illud, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* quia personam nostram gerebat pronuntiavit. Neque enim Deum suum Patrem dixisset, nisi id quod sub aspectum cadit, ab eo quod intellectu capiebatur, subtili mentis imaginatione discretum fuisset. ¶ Nec rursum a sua unquam divinitate desertus fuit; sed nos eramus derelicti illi & contemti. Quamobrem

§ *Greg. orat.* 36. † *Matth.* 27. *v.* 46.
¶ *Greg. Nyss. orat.* 36.

brem personam assumens hæc deprecat[us] est.

De appropriatione seu vindicatione.

CAP. XXV.

SCire oportet duplicem esse vindicationem, unam naturalem & substantialem, alteram personalem & secundum respectum. At naturalis quidem & substantialis est, qua Deus pro sua erga homines benevolentia, tum naturam nostram, tum omnia naturalia suscepit, natura & vere factus homo, & ea expertus, quæ in naturam nostram cadunt. quæ vero personalis est, & secundum respectum, tunc locum habet, cum quis affectione quadam, miseratione puta, vel dilectione alterius personam gerit, pro eo sermones nihil ad se attinentes illius vice proferens. Quo quidem vindicationis genere Dominus, tum maledictionem, tum derelictionem nostram, aliaque ejusmodi quæ naturalia non sunt, sua ipse fecit.

* *Max. ad Marin. in solut.* 1. *dubit. Theod. Greg. Naz. orat.* 36.

fecit: non ut ipse hoc esset, aut unquam exstiterit; sed quia personam nostram subiens, in nostrum ordinem se adscriberet. Quo sensu sumitur illud, † *Factus est pro nobis maledictum*.

† *Gal.* 3. *v.* 13.

De Corporis Domini passione, ipsiusque divinitatis impassibilitate. CAP. XXVI.

IPsum igitur Dei Verbum omnia carne pertulit, divina interim ac sola impassibili ipsius natura ab omni perpessione immuni persistente. Nam cum unus idemque Christus, qui ex divinitate & humanitate compositus est, inque divinitate & humanitate exsistit, vere pateretur, pars quidem illa, quæ naturali sua conditione hoc habebat, ut pati posset, patiebatur; cœterum ea, quæ impassibilis erat, haud simul patiebatur. Nam anima quidem, passibilis cum sit, tametsi inciso corpore ipsa minime incidatur, una tamen cum corpore dolorem persentit: at deitas quia impassibilis est, nihil potiebatur commercio corporis.

Illud porro sciendum, quod Deum quidem carne passum dicimus; divinitatem autem carne passam, aut Deum per carnem passum, non item. † Sicut enim, si sole arbori lucente securis arborem unciderit, sol tamen nihil læsus manet; a fortiori, impassibilis Verbi divinitas carni secundum hypostasim unita, patiente carne incolumis mansit. Et quemadmodum, si quis aquam ignito ferro infundat, id quod ita comparatum est, ut ab aqua afficiatur, h. e. ignis, ab aqua exstinguitur; ferrum autem omnis injuriæ expers manet (non enim a natura id habet ut ab aqua labefactetur) multo magis certe divinitas quæ sola ab omni perpessione remota est, patiente carne nullam ipse passionem admisit: quamvis alioqui ab illa inseparabilis esset. Non enim necesse est exempla esse rebus prorsus similia, ac hujusmodi, ut nihil omnino desideretur; quandoquidem in exemplis, tum id quod simile est, tum id quod diversum est, perspicere oportet, eo quod exempla sint. Nam quod omni ex parte simile est, ea ipsa res est, non exemplum

† *Athan. lib. de salut. advēn. Christi.*

plum, idque potiſſimum in Deo. Neque enim fieri poteſt, ut exemplum omnino ſimile reperiatur, ſive cum de Deo, ſive cum de Incarnatione ſermo habetur.

Quod Verbi divinitas ab anima & corpore inſeparabilis manſerit, etiam in Domini morte: & quod una interim perſona perſtiterit. CAP. XXVII.

CUm Dominus noſter Jeſus Chriſtus ab omni peccati labe purus eſſet † (*Non enim peccatum fecit, qui peccatum tollit mundi; § nec dolus inventus eſt in ore ejus*) morti nequaquam ſubjectus erat: ſiquidem per peccatum mors introivit in mundum. * Moritur itaque, mortem ſalutis noſtræ cauſa ſuſcipiens, ac ſeipſum Patri pro nobis hoſtiam offerens. In eum enim deliqueramus, eique proinde redemtionis noſtræ pretium pendendum erat, ut hoc pacto a condemnatione liberaremur. Abſit enim, ut Domini ſanguis oblatus tyranno fuerit. Accedit

† *Iſai.* 53. *v.* 9. *Joan.* 1. *v.* 29. § *Rom.* 5. *v.* 12. * *Greg. Naz. orat.* 42.

Accedit itaque mors, corporisque escam videlicet deglutiens, divinitatis homo transfigitur: atque degustato insonte ac vivifico corpore, ipsa interit, omnes quos olim absorpserat, evomens. Velut enim tenebræ inducta luce submoventur, ita corruptio vitæ appulsu depellitur: omnibusque accidit vita, corruptori autem, interitus.

Quamvis igitur Christus ut homo mortem obierit, sanctaque ipsius anima ab immaculato corpore distracta sit; divinitas tamen a neutro, h. e. nec ab anima, nec a corpore quoquo modo sejuncta est: neque propterea persona una in duas divisa fuit. Siquidem & corpus & anima simul ab initio in Verbi persona exsistentiam habuerunt; ac licet in morte divulsa sint, utrumque tamen eorum unam Verbi personam qua subsisteret, semper habuit. Quamobrem una eademque Verbi hypostasis, tum Verbi, tum animæ, tum corporis erat hypostasis. Neque enim unquam aut anima, aut corpus peculiarem atque a Verbi subsistentia distinctam subsistentiam habuit; verum una semper fuit Verbi hypostasis & subsistentia, nec unquam du-

duplex. Idcirco una quoque semper Christi persona fuit. Tametsi enim quoad locum anima a corpore sejuncta erat; hypostatice nihilominus per Verbum uniebatur.

De corruptione & corruptela. CAP. XXVIII.

CORruptionis vocabulis duplex est significatio. Nam & pro humanis hisce perpessionibus usurpatur, nempe fame, siti, lassitudine, clavorum perforatione, morte, seu animæ a corpore separatione, aliisque id genus. † Quo quidem sensu corruptioni obnoxium fuisse Domini corpus dicimus. Hæc enim omnia sponte suscepit. Ac rursus corruptionis vox perfectam corporis in elementa ex quibus compositum est, dissolutionem exstinctionemque significat; quæ etiam a plerisque διαφθορὰ hoc est interitus appellatur. Quod quidem corruptionis genus Domini corpus expertum non fuit, ut ait David Propheta: § *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis san-*

† *Leont. de sect. act.* 10. *& dial. cont. Apbthartodoc.* § *Psal.* 15. *v.* 10.

sanctum tuum videre corruptionem.

Quocirca de priore corruptionis significatione, incorruptibile ante resurrectionem fuisse Domini corpus, ad instar vesani illius Juliani & Gajani, asserere impium est. Nam si incorruptibile erat, non certe ejusdem nobiscum substantiæ fuit: quin & hominum tantum opinione, ac non vere ea contigerint, quæ contigisse Evangelistæ memorant, fames, sitis, clavi, lateris vulnus, mors. † Quæ si opinatione duntaxat exstiterunt, § illusio igitur ac mera larva erat humanitatis assumtæ mysterium, atque adeo opinione ac non vere factus erit homo; & opinione ac non vere salus nobis allata erit: quod absit; & qui talia affirmant, a salute prorsus excidant. Nos vero salutem veram consequuti sumus & consequemur. Cæterum secunda corruptionis significatione, incorruptibile corpus Domini confitemur, quemadmodum sancti Patres nobis tradiderunt. Quin secundum priorem hunc quoque sensum post Salvatoris resurrectionem

† 1. *Cor.* v. 53. § *Anast. sinait. in* ὁδηγῷ p. 293.

hem incorruptibile item corpus ipsius dicimus. Nam & corpori nostro Dominus resurrectionem, ac subinde incorruptionem per corpus suum donavit, ut qui & resurrectionis & incorruptionis, & impassibilitatis primitiæ nobis factus sit. ¶ *Oportet* ait divinus Apostolus, *corruptibile hoc induere incorruptionem*.

¶ *Phil.* 2. *v.* 10.

De descensu ad inferos. CAP. XXIX.

OB id porro deificata anima ad inferos descendit, ¶ ut quemadmodum his qui in terra versabantur, "justitiæ Sol ortus erat, ita etiam illis qui subtus terram, in tenebris & umbra mortis sedebant, illuceret: ac sicut iis qui in terra erant, pacem, captivis remissionem, cæcis visum evangelizaverat; atque illis quidem qui credidérant salutis auctor exstiterat, incredulos autem infidelitatis arguerat; sic etiam eis, qui in inferno erant: ♄ *Ut ipsi omne genu flectatur*, cæ-

le-

* *Mal.* 4. *v.* 2. ¶ *Isai.* 9. *v.* 2. *Isai.* 61. *v.* 1. " *Luc.* 4. *v.* 19. ♄ 1. *Petr.* 3. *v.* 19.

lestium, terrestrium & infernorum. Hoc pacto, solutis illis, qui ab omni ævo vinc-ti tenebantur, ipse rursus a morte ad vitam rediit, viam nobis ad resurrectionem ster-nens.

LIBER QUARTUS.

Dei iis quæ resurrectionem sequuta sunt.

CAP. I.

POstquam autem Christus a morte resur-rexit, omnes quidem ægritudines exuit, puta corruptionem, famem, sitim, somnum, lassitudinem, aliaque id generis. ¶ Nam etsi post resurrectionem cibum gu-stavit, non tamen id naturæ lege contigit; neque enim fame laboravit; sed certa di-spensatione, ut fidem faceret, se vere ad vi-tam rediisse, eandemque esse carnem quæ cum mortua fuisset, revixerat. Cæterum nullam naturæ partem abjecit, non corpus non animam. Quin potius & corpus & animam ratione & intellectu, volendique &

¶ *Luc.* 24. *v.* 43.

& agendi facultate præditam habuit, ficque in cœlum aſcendit, atque ad Patris dexteram ſedet, divino humanoque modo ſalutem noſtram volens: divino quidem qua rebus omnibus providet, eas conſervans & gubernans; humano autem converſationem, quam, quam in terris geſſit, mente recolens, videnſque & ſciens ſe ab omni creatura rationali adorari. Sanctæ etenim ipſius animæ compertum eſt, tum quod Deo Verbo ſecundum hypoſtaſim unita ſit, tum quod una cum eo adoretur, uti Dei anima, ac non ut ſimpliciter anima. Quin hoc quoque ipſum quod e terra in cœlum aſcendit, ac denuo deſcenſurus eſt, actiones ſunt corporis circumſcripti. § *Sic enim*, inquit, *rurſus veniet ad vos, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cælum*.

§ *Act.* I. *v.* 11.

De ſeſſione ad dexteram Patris. CAP. II.

PORRO Chriſtum ad dexteram Dei & Patris ſedere corporaliter dicimus: nec proinde loci inſtar eſſe Patris dexteram affirma-

mus. * Qui enim fieri possit, ut qui circumscriptionis est expers, † loco definitam dexteram habeat? Dextra enim & sinistra iis demum conveniunt, quæ loco circumscribuntur. Quocirca per Paternæ dextræ vocabulum significamus Divinitatis honorem & gloriam, in qua cum Dei Filius tanquam Deus Patrique consubstantialis, ante sæcula esset, ad extremum caro factus corporeo quoque modo considet, in eandem nimirum gloriam adscita ipsius carne. Una enim eademque cum sua carne adoratione ab omnibus creatis rebus colitur.

* *Athan. Jun. q.* 45. *ad Ant.* † *Basil. lib. de Spir. S. c.* 6.

Adversus eos qui ita objiciunt: Si duæ naturæ Christus est, aut creaturam colitis, naturam creatam adorando, aut alteram naturam dicitis adorandam, alteram non adorandam. CAP. III.

DEi Filium simul cum Patre & Spiritu sancto adoramus, corpore quidem non dum antequam humanitatem assumsisset, sed

nunc autem eundem incarnatum hominemque factum; cum eo quod Deus est. Ac proinde ipsius caro suapte quidem natura, si subtili quadam consideratione id quod visibile est, § ab eo quod ratione tantum intelligitur: distinxeris, nequaquam adoranda est, † ut pote creata, & cum Deo Verbo unita sit, propter ipsum & in ipso adoratur. Quemadmodum enim Rex, & nudus, & vestibus indutus adoratur; ac purpura quidem velut simplex purpura calcatur & projicitur; postquam autem in Regium indumentum adhibita est, tum honore & gloria afficitur, eaque conditione est, ut qui eam indecore tractarit, morte plerumque mulctetur: velut etiam simplex lignum, ¶ non sic comparatum est ut tangi non possit, cæterum ubi admoto igne carbo evasit, non quidem suapte vi, sed obadjunctum ignem, nec proprius adiri, nec tangi omnino potest: non quod ea ligni natura sit, ut propriorem ad se accessum non ferat; sed quod jam carbo sit, seu lignum

§ *Athan. lib.* 1. *cont. Apol. epist. ad Adelph.* † *Epiphan Ancor.* 51. ¶ *Sup. lib.* 3. *c.* 8.

gnum accesum: ad eundem quoque modu
caro suapte quidem natnra nequaquam e
adoranda: sed cum in incarnato Verbo ado
ratur, non quidem propter seipsam, se
propter Deum Verbum, quod secundu
hypostasim ipsi copulatum est. Neque e
nim fatemur nudam simplicem carnem ado
rari, verum Dei carnem, sive Deum in
carnatum.

Cur Dei Filius, non Pater, aut Spiritus sanctus, homo factus sit: quidque factus ho mo præstiterit. CAP. IV.

PAter, Pater est, & non Filius; Filius Filius est, & non Pater: § Spiritus sanctus, Spiritus, ac non Pater, nec Filius. Proprietas enim immobilis est: quonam enim alio modo proprietas maneret, si mo veretur exque aliam aliam transiret? Ob eam causam Dei Filius, hominis filius fit, ut proprietati immobilitas sua constet. Nam cum Dei Filius esset, factus est hominis filius, ex sancta Virgine carnem sumens, nec propterea ab ea proprietate quæ Filium decet ex-

§ *Greg. orat.* 39.

excedens.

Hanc porro Dei Filius ut homo fieret causam habuit, ut id rursus homini beneficium afferret, cujus gratia illum a principio condiderat. Siquidem dum ad imaginem suam, intellectu & libertate præditum effinxerat; nec non ad similitudinem suam, id est, omni virtutum genere perfectum, quantum quidem humanæ naturæ consequi datum esset. Hæ quippe divinæ naturæ veluti notæ sunt, nempe cura ac solicitudine vacare, simplicitate, bonitate, sapientia, & justitiam pollere, atque ab omni vitio liberum esse. Porro cum hominem in eo statu constituisset, ut se ipsi communicaret (* *eum etenim fecerat, ut corruptellæ obnoxius non esset*) per sui communicationem ad incorruptionem eum subvehebat. Quoniam autem per mandati violationem imaginis divinæ ductibus & characteribus obscuratis ac deletis, in malitiam provoluti, divina communicatione orbati sumus ¶ (*nam quæ societas luci ad tenebras*) atque a vita ex-

* *Sap.* 2. *v.* 3. ¶ 1. *Cor.* 6. *v.* 14.

excluſi, § in mortis interitum incidimus quoniam, inquam, præſtantius illud, quod nobis impertitus erat, minime cuſtodivimus; ideirco ejus quod deterius eſt, noſtræ ſcilicet naturæ, particeps ipſe fit, ut per ſe quidem & in ſe imaginis ſimilitudinem ſque decorem inſtauret, nos vero virtutibus ornatam agendæ vitæ rationem, per ſe nobis facile ad eam iter muniens, edoceat ac per vitæ communicationem ab interitu vindicet, factus ipſe primitiæ noſtræ reſurrectionis, atque innovato vaſe quod obtritum & inutile redditum fuerat, nos demum ſui cognitionem vocante Deo, a diaboli tyrannide ereptos, corroboret, & per patientiam & humilitatem ad debellandum vincendumque tyrannum erudiat.

Enimvero cultus dæmonum deſiit: creatura ex divino cruore ſanctitatem contraxit: aræ templaque idolorum diruta ſunt: Dei cognitio in animis hominum inſita: consubſtantialis Trinitas increata colitur divinitas; unus inquam, Deus verus, univerſi

§ *Athan. lib. de incar. Cyril. lib. 1. in Joan.*

sorum conditor ac Dominus, virtutes studio sunt: resurrectionis spes per Christi resurrectionem donata est: homines quos mancipio constrictos tenebant, dæmones perhorrescunt: quodque mirificum est, hæc omnia per crucem cruciatusque ac mortem gesta sunt: Evangelium quo Dei cognitio patuit, toto orbe promulgatum est; non bello armisque, & exercitibus adversarios fundens: verum homines pauci, nudi, pauperes, ac literarum rudes, infectationibus ac verberibus afflicti, neci dati, eum qui in crucem actus mortuusque fuerat, prædicantes, doctos & potentes superarunt. Eorum enim comes aderant omnipotens virtus ac potestas Crucifixi. Quin mors ipsa, quæ terrorem maximum olim inferebat, prostrata fuit; & quæ quondam odio & horrori erat, vita jam potior habetur. Hæc Christi adventus præclara facinora: hæc ipsius potentiæ indicia luculenta. § Non enim, ut per Moysem, populum unum ex Ægypto ac servili Pharaonis jugo dissectis maris undis liberavit, verum omne potius humanum

§ *Exod.* 14. *v.* 16.

num genus ex mortis interitu & acerba peccati tyrannide vindicavit: non quidem ad virtutem vi adigens; non terra obruens, non flammis exurens, non peti saxis peccatores jubens, verum mansuetudine ac lenitate homines ad virtutem amplexandam alliciens, atque ita comparans, ut pro ea adipiscenda labore & certamina læti susciperent. Etenim olim quidem licet cum peccabant pœnas luerent, adhuc tamen peccato mordicus adhærebant, quod instar numinis haberent. At nunc contra pietatis virtutisque causa verbera & cruciatus, mortemque amplectuntur.

Euge Christe, Dei Verbum, sapientia & potentia, atque omnipotens Deus. Quid tibi nos inopes & egeni pro istis omnibus rependemus? Tua enim sunt omnia. Quia nihil quidquam a nobis exposcis, nisi salutem nostram: cujus tum tu ipse largitor sis, nihilominus pro inenarrabili tua bonitate illis gratiam habes, qui eam consequutur. Gratias tibi, qui & esse & bene esse nobis concessisti; cumque hinc excidissemus, inexplicabili demissione & indulgentia eo

dem nos reduxisti.

Ad eos qui quærunt: sitne Christi persona creata, an increata? CAP. V.

DEi Verbi persona, ante carnem assumtam simplex erat, nec composita, corporis expers, & increata. Ex quo autem carnem suscepit, carni quoque persona facta est, compositaque evasit ex Divinitate, quam nunquam non habuit, & ex carne quam assumsit, geritque adeo duplicis naturæ proprietates, ut quæ in duabus naturis noscatur. Quo fit ut una eademque persona & divinitatis ratione increata sit, & creata ratione humanitatis; visibilis simul & invisibilis. Nam alioqui in eas angustias adducemur, ut vel unum eundemque Christum dividamus, duas personas asserendo, vel naturarum distinctionem inficiantes, conversionem vel confusionem inducamus.

Quando Christus est appellatus. CAP. VI.

§ NOn, quemadmodum quidam fal
prædicant, mens ante carnem ex Vi
gine assumtam, Deo Verbo copulata est
jam tum Christi nomen accepit. Commen
tum enim hoc inter Origenis deliramenta
recensetur, qui animas corporibus esse v
tustiores docuerit. Nos vero Filium, De
que Verbum, tum demum fuisse Christu
vocatumque esse dicimus, cum sanctæ semp
patque Virginis uterum inhabitando, § ca
ro citra mutationem ullam factus est, un
ctaque caro fuit divinitate. † Hæc namqu
humanitatis unctio exstitit, ut ait Grego
rius Theologus. Sanctissimus item Alexa
drinæ præsul Cyrillus Imperatori Theod
sio scribens, in hunc modum loquitur
„ Equidem necessarium esse arbitror, u
„ nec Verbum quod ex Deo sine humanit
„ te natum est, nec rursus templum, quo
„ ex muliere partu editum est, si Verbo
„ unitum non sit, Jesum Christum nunc
„ pemus. Etenim Verbum quod ex De
„ est, non aliter Christus censetur, nisi qu
co

§ *lib.* 2. περὶ ἐρχῶν, *cap.* 6. * *Orat.* 36
† *Edit. Paris. p.* 25.

tenus per dispensationis unionem arcano « modo cum humanitate conjunctum fuit. « † Rursumque ad Imperatrices ita scribit: « Quidam Christi nomen, Verbo soli, sin- « gulatimque in se considerato & existenti, « ut a Patre genitum est, convenire asserunt. « Nos vero ita sentire & loqui nequaquam « edocti sumus. Nam quando Verbum fa- « ctum est caro, tum primum etiam Chri- « stum Jesum nominatum fuisse dicimus: « Nam quia exsultationis oleo, sive Spiritu, « a Deo & Patre unctus est, eatenus Christus « appellatur. Quod autem unctio in huma- « nitate facta sit, § in dubium nemo revoca- « bit illorum, qui recte sentire consueverunt. « ¶ Quin & Athanasius in oratione de Salu- « tari adventu Christi, sic loquitur: Deus « qui ante exstabat, quam in carne adveni- « ret, nequaquam homo erat, sed Deus a- « pud Deum, invisibilis & impassibilis. Post- « quam autem factus est homo, Christi no- « men propter carnem accivit sibi; quando- « quidem passio & mors nominis hujus con- «

secta-

† *Edit. Paris. p.* 54. § *Hebr.* 1. *v.* 6.
¶ *Orat. de sal. adv. Christi.*

" sectaria sunt.

Quod si in divinis quoque Scripturis dicitur, † *Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo letitiæ*, scire attinet, Scripturam sacram præterito tempore pro futuro sæpe uti. Quo in genere illud est: § *Posthæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.* Necdum enim visus fuerat Deus, nec cum hominibus versatus fuerat, cum hæc dicebantur. Itemque illud. *Super flumina Babylonis illic sedimus & flevimus.* Nondum enim hæc contingerant.

† *Psal.* 136. *v.* 8. § *Bar.* 3. *v.* 38.

Ad eos qui sciscitantur, An sancta Dei genitrix duas naturas genuerit, & an duæ naturæ in Cruce pependerint. CAP. VII.

Τὸ ἄγεννητον & γεννητὸν, cum unico ν scribuntur, naturæ conveniunt, significantque increatum & creatum: * at ἀγέννητος & γεννητὸς, id est ingenitum & genitum, ubi duplici ν efferuntur, non naturæ, sed personæ conveniunt. Porro divina quidem na-

* *Sup. lib.* 1. *c.* 9.

natura, ἀγέννητος est, sive increata: cætera vero præter ipsam, γεννητὰ, sive facta. Consideratur itaque in divina quidem & increata natura, ingeniti proprietas in Patre (neque enim ille genitus est) generatio autem in Filio (siquidem ex Patre sempiterne natus est) processio denique in Spiritu sancto. In qualibet autem animantium specie, ea quæ sunt primo producta ἀγέννητα quidem, sive ingenita sunt; at non item ἀγέννητα, vel increata. Etenim a summo opifice creata sunt; non autem ex similibus nata. Nam γένεσις, quidem creatio est. At γέννησις, i. generatio, cum de Deo agitur, est consubstantialis Filii ex solo Patre ortus: cum autem de corporibus, consubstantialis personæ ex maris & fœminæ complexu processus. Ex quo perspicimus, gigni non ad naturam, sed ad personam pertinere. Nam si ad naturam spectaret, haudquaquam in una eademque natura genitum & ingenitum cerneretur. Eam ob rem sancta Dei Genitrix personam genuit in duabus naturis ingenitam, divinitatis quidem ratione citra ullum temporis spatium ex Patre genitam,

ad

ad extremum autem in tempore ex ipsa in carnatam; & carne natam.

Sin autem percontatores nostri innuant si velint eum, qui ex sancta Deipara natus est, duas naturas esse; ita sane dicemus, duæ naturæ est: quippe qui idem ipse Deus & homo est. Id quod etiam de crucifixione, & de resurrectione, & de ascensione dicendum est. Neque enim ista naturæ sint, sed hypostasis. Christus itaque duplici natura constans, ea natura passus est & crucifixus, quæ erat passibilis. Carne enim in cruce pendebat, non divinitate. Alioqui respondeant nobis hæc viciſſim rogantibus: Duæne naturæ mortuæ sunt? Minime, inquient. Ergo neque duæ naturæ crucifixæ. Verum genitus est Christus, h. e. Deus Verbum humana natura assumta; carne genitus est, carne crucifixus, carne passus, carne mortuus, cum impassibilis ipsius divinitas maneret.

Quomodo Primogenitus dicatur unigenitus Dei Filius. CAP. VIII.

PRimogenitus est, qui primus est geni-

tus, sive ille unigenitus sit, sive etiam aliis fratribus natu major. Quocirca si Dei Filius primogenitus quidem, at non item unigenitus diceretur, suspicari utique potuissemus creaturarum primogenitum eum esse, ut qui etiam inter ipsas accenseretur: cum autem, & primogenitus, & unigenitus dicatur, atque utrumque in eo retinendum sit; idcirco, ¶ *primogenitum eum omnis creaturæ* dicimus, quoniam & ipse ex Deo est, itemque ex Deo exsistant res creatæ. † Vetum ipse quidem, ut ex Dei ac Patris substantia, solus citra omne tempus genitus, merito unigenitus filius *primogenitus* dicetur, at non primum creatus. Nam res creatæ non ex Patris substantia, sed ipsius voluntate ex nihilo productæ sunt. ‖ *Primogenitus autem in multis fratribus*, siquidem, cum matris etiam unigenitus esset (quoniam æque ac nos participavit carni & sanguini, homoque factus est; nosque etiam per eum filii Dei facti sumus, per ba-

* *Vid. apud Greg. Nyss. lib.* 3. *cont. Eun.*
¶ *Col.* 1. *v.* 15. § *Athan. Expos. fid.*
‖ *Rom.* 8. *v.* 29.

baptismum scilicet adoptati (ipse natura Dei Filius, inter nos, qui adoptione & gratia in Dei filios coöptati sumus, fratresque ipsius exstitimus, primogenitus factus est. Eo itaque nomine dicebat, * *Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum*. Non dixit, *Patrem nostrum*, sed *Patrem meum*, natura videlicet; *& Patrem vestrum*, gratia. Et, *Deum meum & Deum vestrum*. Non dixit, *Deum nostrum*, sed *Deum meum*, ut subtiliori consideratione id quod visibile est, ab eo quod mente intelligitur, præscindas: & *Deum vestrum*, tanquam rerum omnium opificem & Dominum.

* *Joan.* 20. *v.* 17.

Ad eos qui quærunt, utrum ad continuam quantitatem, an vero ad discretam duæ naturæ referantur. CAP. IX.

DOmini naturæ, nec corpus unum sunt, nec superficies una, nec linea, nec locus, nec tempus, ut ad continuam quantitatem referantur. Hæc enim sunt, quæ sub continuum numerum cadunt. At Dei

dhini naturæ citra omnem confusionem personaliter inter se unitæ sunt, & citra divisionem distinctæ, discriminis nimirum ratione ac modo. Et quidem qua ratione unitæ sunt, a numero alienæ sunt. Neque enim Christi naturas duas esse personas, aut duo quædam quantum ad personam esse dicimus. Qua autem ratione sine distinctione divisæ sunt, in numerum cadunt. Duæ enim naturæ sunt, ratione ac modo differentiæ. Siquidem personaliter inter se unitæ, mutuoque inter se commeantes, citra ullam confusionem copulantur: sic tamen, ut altera in alteram minime immutetur, sed suum utraque naturale discrimen etiam post unionem tueatur atque conseruet. Nam quod creatum est, creatum mansit, & increatum quod increatum. Quare cum solo differentiæ modo numerentur, ad discretam quantitatem reducendæ sunt. Neque enim fieri potest, ut quæ nulla in re inter se discrepant, numerentur: verum qua ratione dissident, ea quoque numerari consueverunt. Exempli gratia: Petrus & Paulus, quatenus inter se copulantur, nume-

merum respuunt (: nam cum substantiæ tione inter se conjungantur, duæ natur nec sunt, nec dicuntur :) Quatenus autem personarum ratione inter se differunt, dua personæ dicuntur. Ex quo perspicuum numeri causam in differentia sitam esse.

De Fide & Baptismo. CAP. X.

JAm vero unum Bbptismum in remiss nem peccatorum & in vitam æterna confitemur. ¶ Baptismus quippe morte Domini significat. Per baptismum enim cum Domino sepelimur, ut ait divinus Apostolus. Quemadmodum igitur Dominus mortuus est; sic nos etiam semel baptizari necessarium est: Baptizari, inquam, sicut a Domino dictum est, † *In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*. Quibus scilicet verbis, Patris & Filii & Spiritus sancti confessionem edocemur. Quocirca qui in Patrem & Filium & Spiritum sanctum, baptizari, utamque in tribus Deitatis per-

¶ *Rom. 6. v. 4. Col. 2. v. 12.*

† *Matth. 28. v. 19.*

nis naturam edocti, baptismum repetunt, ii, secundum divinum Apostolum, Christum rursus crucifigunt. † *Impossibile enim est*, inquit, *eos qui semel illuminati sunt &c. rursus ad pœnitentiam renovare, crucifigentes iterum sibi ipsis Christum, & ostentui habentes*. At qui in sanctam Trinitatem baptizati non sunt, bi denuo baptizentur necesse est. Etsi enim Apostolus dicit, § *In Christum & in mortem ipsius baptizati sumus*; non tamen hoc vult, baptismi invocationem ex his verbis constare debere, verum hoc demum, baptismum mortis Christi figuram præferre. Baptimus siquidem qui trina immersione peragitur, tres dies significat, quibus Dominus tumulo conditus jacuit. * Quare in Christum baptyzatum esse nihil aliud indicat, quam in illum credendo salutifera aqua tingi. Fieri non potest, ut in Christum credamus, nisi Patris & Filii & Spiritus sancti confessione imbuti simus. ¶ Christus

† *Hebr. 6. v. 4.* § *Rom. 6. v. 3.* * *Anst. quæst. ad Antioch. q. 94.* ¶ *Basil. lib. de Sap. 1. cap. 12.*

enim est Filius Dei vivi, quem Pater un
xit Spiritu sancto, quemadmodum ait divi
nus David: † *Propterea unxit te Deus, Deus
tuus, oleo letitiæ præ consortibus tuis.*
§ Isaias quoque ex Domini persona loquens
* *Spiritus Domini super me, propter quod
unxit me.* ¶ Enimvero quænam verborum
forma adhibenda esset, Dominus discipulis
suis exposuit, " *Baptizantes eos* inquiens in
nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.
Quoniam enim immortalitis consequendæ
causa nos Deus condiderat; ‖ violato autem
ejus præcepto, mortis labe, ne perpetuum
& immortale malum esset, nos item mulc
verat, idcirco pro sua indulgentia sese ser
vis inclinans, nostrique similis effectus,
‡ passione sua nos a corruptione vindicavit
& ex sancto & immaculato suo latere veni
fontem nobis emisit: aquam scilicet ad re
generationem, nec non peccati & corrupte
læ absterionem; sanguinem vero in potum
qui

† *Matth.* 16. *v.* 6. § *Act.* 10. *v.* 38.
* *Psal.* 44. *v.* 3. ¶ *Isai.* 61. *v.* 1. " *Matth.*
28. *v.* 19. ‖ *Method. lib. de resurr.* ‡ *Joan.*
29. *v.* 43.

qui vitam æternam procuraret. † Quin hoc quoque mandavit nobis, ut per aquam & Spiritum regeneraremur, § Spiritu sancto ad aquam accedente, per verbum & orationem. Nam quoniam homo duplici natura constat, anima scilicet & corpore, duplicem proinde nobis purgationem dedit, per aquam nimirum & Spiritum: sic nempe ut Spiritus divinæ imaginis similitudinisque decus in nobis instauraret, aqua vero per Spiritus gratiam a peccato corpus mundaret, atque a corruptione liberum redderet, aqua quidem mortis simulacrum exprimente, Spiritu autem vitæ pignus & arrhabonem largiente.

* Etenim a principio *Spiritus Domini ferebatur super aquas;* ¶ quin & lustrandi virtute præditam esse aquam Scriptura jam olim contestatur. " Noe temporibus Deus mundi peccatum per aquam eluit. Per aquam quisquis immundus erat, lege præcipiente mundabatur, & ita quidem ut & ipsæ vestes aqua essent abluendæ.

† *Joan.* 3. *v.* 5. § *Greg. orat.* 48. * *Gen.* 1. *v.* 2. ¶ *Gen.* 6. " *Levit.* 14. *v.* 10.

† Elias Spiritus gratiam admissam aquis ostendit, tum nimirum cum holocaustum adhibita aqua cremavit. Peneque omnia secundum legem aqua mundantur. Res enim visibiles earum quæ mente percipiuntur signa sunt. Regeneratio porro in anima perficitur. Fides quippe vim eam habet, ut quamvis e rebus creatis simus, per Spiritum nos in Dei filios adoptet, atque ad pristinam fecilitatem velut post limnio revocet.

Quamvis autem peccatorum remissio omnibus per aquæ baptismum detur: Spiritus tamen gratia pro fidei ac præviæ purgationis modo conceditur. Et nunc quidem Spiritus sancti primitias per baptismum accipimus, & regeneratio, alterius nobis vitæ initium, & signaculum, & præsidium, & illuminatio efficitur.

§ Cæterum in id nobis totis viribus adenitendum, ut nos ab obsconis operibus puros atque integros servemus, ne canis instar ad vomitum redeuntes, peccati nosmetipsos denuo servituti mancipemus. Fides

† 3. Reg. 18. v. 32. § Rom. 8. v. 12.

¶siquidem sine operibus mortua est, itemque opera, sublata fide. Vera quippe fides per opera comprobatur.

Ob id vero in Sanctam Trinitatem baptizamur, quia quæ baptizantur, ad sui, tum constitutionem, tum conservationem, * Trinitatis opera indigent: nec fieri potest, ¶ quin tres personæ sibi invicem adsint; quoniam Trinitas nullatenus separabilis est.

Primum baptisma diluvium fuit, quod excindendi peccati causa contigit. " Secundum illud fuit, quod per mare & nubem factum est. ♭ Siquidem nubes, Spiritus; mare, aquæ figuram gerebat. "" Tertium legale erat. ' Quisquis enim immundus esset, aqua abluebatur, vestes lavabat, atque ita in castra ingrediebatur. Quartum Joannis fuit, rudimentarium videlicet quod illos qui baptizabantur, ad pœnitentiam adducebat, ut crederent in Chri-

 stum

§ 2. *Petr.* 2. *v.* 22. * *Greg. Naz. orat.* 40. ¶ *Athan. ad Serap. de Spir. S.* " *Greg. Theol. orat.* 39. ♭ *Gen.* 7. *v.* 17. "" 1. *Cor.* 10. *v.* 2. ' *Lev.* 14. & 15.

ſtum. ¶ *Ego enim*, inquit, *baptizo* [illegible] *aqua: qui autem poſt me veniet*, " *ipſe* [illegible] *baptizabit Spiritu ſancto & igne*, "" Itaq[ue] Joannes ad Spiritum ſuſcipiendum ante [illegible] aquam purgabat. ' Quintum, Domini [illegible] ptiſma, quo ipſe baptizatus fuit. Bap[ti]zatus eſt autem, non quod ipſe purgatio[nem] indigeret; ſed meam ſibi purgationem [illegible] ſciſcens, ut capita draconum in aquis co[n]tereret; ut peccatum obrueret, ac totu[m] veterem Adamum in aqua ſepeliret; [illegible] baptiſmum ſanctificaret, ut legem implere[t] ut Trinitatis myſterium aperiret; ut ſeru[m] tandem ſuſcipiendi baptiſmi formam & [illegible] xemplum præberet; Baptizamur autem [illegible] nos quoque perfecto Domini baptiſmo [illegible] ♄ per aquam videlicet & Spiritum. § Pe[tro] ro Chriſtus idcirco igne baptizare dicitur quia Spiritus gratiam in ignearum lingu[a]rum ſpecie in ſanctos Apoſtolos effudit, quemadmodum Dominus ipſe dixerat: *Jo[annes]*

¶ *Matth.* 3. *v.* 11. " *Greg. orat.* 40. "" *Baſil, hom. de bapt. Chriſ. in Matth. hom. & alii.* ' *Pſal.* 73. *v.* 13. ♄ *Act.* 1. *v.* 5. § *Greg. orat.* 40.

Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto & igne, non post multos hos dies: vel etiam ob castigatorium ignis futuri Baptismum. Sextum baptisma, in poenitentia & lacrymis versatur: † estque hoc grave & molestum. § Septimum, est quod sanguinis profusione ac martyro perficitur, * quo & Christus ipse nostri causa defunctus est. Estque illud perquam augustum ac beatum, quod nullis posthac sordibus inquinetur. Octavum, denique & postremum illud est, non jam salutiferum, verum ita malitiam auferens, quando suus jam malitiæ & peccato locus non erit, ‖ ut tamen sempiternum excruciet ac puniat.

Porro Spiritus sanctus corporali specie, sicut columba ad Dominum descendit ‡ sicque tum baptismi nostri primitias subindicabat, tum corpus cohonestabat: quoniam & hoc quoque deificationem Deus erat. Adde, quod columba cessasse diluvium olim nunciaverit. Ignis vero specie in sanctos Apostolos descendit, ‖ eo quod Deus esset,

† *Id. ibid.* § *Luc.* 12. *v.* 50. * *Id. ibid.* ‖ *Id. ibid.* ‡ *Greg. Naz orat.* 39. *Id. orat.* 44.

† *Deus enim ignis consumens est.*

At vero oleum idcirco ad baptismum adhibetur, quia unctionem nostram significat nosque Christos facit, § insuper Dei misericordiam per Spiritum sanctum nobis pollicetur. Nam & columba illis qui in columes e diluvio evaserant, oleæ ramum præter omnem spem olim attulit.

Joannes imposita divino Domini capiti manu, & cruore proprio baptizatus fuit.

* Cæterum baptismum diutius prorogare non oportet, dum accedentium fidem constantur actiones. Si quis dolo adbaptismum accesserit, tantum abest ut hinc utilitatis quidpiam capiat, ut condemnationem potius accersat sibi.

† *Act.* 2. *v.* 2. *Deut.* 4. *v.* 44. ¶ *Gen.* 8. *v.* 11. * *Greg. orat.* 40.

De Fide. CAP. XI.

Fides porro duplex est. § *Est enim fides ex auditu.* Scripturas namque sacras audiendo, Spiritus sancti doctrinæ credimus. At

§ *Rom.* 10. *v.* 17.

Atque hæc fides per omnia illa, quæ a Christo ſtatuta ſunt, perficitur: opere videlicet credens, pietatem colens, & ejus qui nos inſtauravit, præceptis obſequens. Nam qui ſecundum Eccleſiæ Catholicæ traditionem non credit, vel per flagitioſa opera cum diabolo communicat, hic infidelis eſt.

Rurſus: * *Fides eſt ſperandorum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium*: vel eſt ſpes minime dubia nec ambigua, qua confidimus fore, ut quæ nobis divinitus promiſſa ſunt, ut quæ poſtulamus, adipiſcamur. Ac prior quidem, noſtræ voluntatis eſt; altera autem inter Spiritus doni cenſenda eſt.

Sciendum eſt autem, integumentum omne quod a nativitate contraximus, peccatum ſcilicet, per baptiſmum circumidi, noſque ſpiritales Iſraelitas ac Dei populum fieri.

* *Hebr.* 11. *v.* 1.

De Cruce, ubi rurſum de Fide. CAP. XII.

Ver-

§ *Verbum crucis pereuntibus quidem stultitia est: iis autem qui salvi fiunt* ¶ *ideſt uobis, Dei virtus est.* Nam *spiritalis quidem judicat omnia: animalis autem homo non percipit ea quæ Dei sunt.* Stultitia enim illis est, qui per fidem ea non scipiunt, nec Dei bonitatem & omnipotentiam considerant; verum res divinas humanis naturalibusque rationibus investigant. Etenim quæ Dei sunt, naturam, & sermonem, & cogitationem superant. Nam quis animo volvat quonam pacto, & Deus omnia ex nihilo produxerit, naturalibusque rationibus id assequi contendat, nequaquam hoc comprehendet. Animalis enim & diabolica est hujusmodi scientia. Qui vero fide veluti manu ductus, Deum bonum, & omnipotentem, & verum, sapientem, & justum cogitat, * omnia plana & æquabilia, viamque rectam inveniet. " Nam fieri non potest ut quis sine fide salutem consequatur. Fide siquidem tum humana omnia, tum spiritualia constant. Ne-

§ 1. *Cor.* 1. *v.* 18. ¶ 1. *Cor.* 2. *v.* 14.
* *Hebr.* 11. *v.* 6. " *Basil. in Psal.* 115.

que enim agricola sine fide arvum proscindit; nec mercator exiguo ligno vectus animam suam furentibus maris undis committit, nec matrimonia contrahuntur, nec denique aliud quidquam eorum quæ vita fert, suscipitur. Fide intelligimus Dei potentia cuncta ex nihilo producta esse. Fide omnia recte gerimus, § tum humana, tum divina. Fides porro est assensus omni curiosa inquisitione vacans.

Quamquam autem omnis Christi actio & miraculorum editio, præclara divina ac mirabilis est: nihil tamen est ex omnibus quod admiratione dignius sit, quam veneranda ipsius crux. Neque enim alia ulla re destructa mors fuit, ¶ primi parentis peccatum exstinctum, infernus spoliatus, resurrectio donata, vis tum præsentia, tum mortem ipsam contemnendi nobis concessa, reditus ad antiquam beatitudinem paratus, paradisi patefactæ januæ, natura nostra ad Dei dexteram collocata, nos denique filii Dei atque hæredes facti, nisi per crucem

Do-

§ *Basil. cit. loc.* ¶ *Cyrill. Hier. catech.* 13.

Domini nostri Jesu Christi. § Siquidem [illegible] omnia crux præstitit. „ *Quicumque enim* inquit Apostolus, " *in Christum baptizati sumus, in mortem ipsius baptizati sumus. Quicumque autem in Christum baptizati sumus,* " *Christum induimus. Christus* [illegible] est *Dei virtus & sapientia*. En quo pa[illegible] Christi mors, sive Crux, subsistenti D[illegible] sapientia & potentia nos vestivit. Dei [illegible]tem virtus verbum Crucis dicitur, vel q[illegible] Dei vis ac potentis, hoc est, victoria [illegible] versus mortem, per eam nobis manifes[illegible] est; "" vel quia, sicut quatuor extremæ [illegible]cis partes per medium centrum inter se [illegible] hærent & constringuntur, ita per Dei p[illegible]tentiam sublimitas & profunditas, longi[illegible]do & latitudo, h. e. omnis tam visibi[illegible] quam invisibilis creatura, continetur.

Hæc nobis signi loco in fronte data est, haud secus ac circumcisio Hraeli. Per hæc nos fideles ab infidelibus distinguimur atque agnoscimur. ♄ Hæc clypeus, armatura [illegible]

§ *Rom.* 6. *v.* 3. " *Gal.* 3. *v.* 27. " *Cor.* 1. *v.* 24. "" *Basil. in cap.* 11. *Esa.* ♄ *Exod.* 12. *v.* 12.

que tropæum est adversus diabolum. Hoc signaculum est, ne nos exterminator Angelus tangat, ut Scriptura loquitur. Hoc jacentium erectio est, stantium fulcimentum, infirmorum baculus, ovium virga, resipiscentium adminiculum, proficientium perfectio, animæ & corporis salus, malorum omnium depulsio, bonorum omnium causa, peccati exstinctio, resurrectionis planta, vitæ æternæ lignum.

Hoc itaque pretiosum sane ac venerabile lignum, in quo se Christus pro nobis hostiam obtulit, uti sanctissimi corporis atque sanguinis tactu sanctificatum, jure debet adorari: clavique item, & lancea, & instrumenta, & sacræ ejus mansiones, hoc est, præsepe, specus, salutaris Golgothæ, vivificum sepulcrum, Sion Ecclesiarum arx, ac similia, quemadmodum Dei parens David ajebat: § *Introibimus in tabernacula ejus: adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus.* Quod autem hic Crucem intelligat, argumento est, id quod sequitur: *Surge Domine in requiem tuam.* Comes enim Cru-

cis

§ *Psal.* 131. *v.* 7.

cis est resurrectio. Nam si eorum quos diligimus, & domus, & lectus, & vestis, cara nobis sunt quanto magis ea quæ Dei & Salvatoris nostri sunt, per quæ etiam parta nobis est salus.

Quin figuram quoque pretiosæ ac vivificæ Crucis adoramus, quamlibet ex alia materia constructa sit: non quod materiam colamus (hoc avertat Deus) sed figuram, velut qua Christus designatur. Etenim ipse discipulos præmonens, ¶ *Tum*, inquit, *apparebit signum Filii hominis in cœlo*, " crucem nimirum significans. Ac proinde Resurrectionis Christi nuntius mulieribus dicebat, *Jesum quæritis Nazarenum crucifixum*: & Apostolus, † *Nos autem prædicamus Christum crucifixum*. Multi enim Christi, & Jesus sunt; at unus duntaxat crucifixus. Non dicit lancea transfixum, sed, *crucifixum*. Quocirca crucis signum adorandum nobis est: ubi enim signum fuerit, ibi quoque & ipse erit. Cœterum materia ex qua conflat figura crucis, sive aurum si-

¶ *Matth.* 24. *v.* 30. " *Mar.* 16. *v.* 6.
† 1. *Cor.* 1. *v.* 23.

ve

eximii pretii lapides sint, destructa forte figura, nequaquam adoranda est. Cuncta igitur quæ Deo dicata consecrataque sunt, non adoramus, ut cultum illorum ad eum referamus.

Lignum vitæ, quod a Deo in Paradiso consitum est, venerandæ crucis figuram gessit. ¶ Quia enim per lignum morti aditus patuerat, decebat ut per lignum quoque vita & resurrectio donaretur. ‘ Primus Jacob adorans fastigium virgæ Joseph, † crucem designavit: cancellatisque manibus benedicens filios, crucis imaginem perquam aperte delineavit. “ Idem etiam indicarunt, tum virga Mosaica, “‘ qua veluti cruce percussum est mare, & quæ Israeli salutem ferens, Pharaonem aquis mersit: “‘ tum manus in crucis formam expansæ, atque Amalecitas in fugam vertentes: † aqua item amara ligno edulcata, § rupesque

¶ *Gen.* 2. & 3. ‘ *Gen.* 47. *v.* 31. *apud. Lxx. Hebr.* 11. *v.* 12. † *Gen.* 48. *v.* 14. “ *Aust. qq. ad Antioch. q.* 63. “‘ *Exod.* 14. *v.* 16. “‘ *Exod.* 17. *v.* 11. § *Exod.* 15. *v.* 25.

virgæ ope dirupta latices fundens: * virga Aaroni Sacerdotii dignitatem propter divinum responsum sanciens; ** erectus tropæi modo in ligno serpens veluti mortuus; *** ligno salutem iis afferente, qui cum fide mortuum hostem cernerent; sicut Christus in carne peccati nescia ligno confixus fuit. Magnus Moyses inclamat: † *Videbitis vitam vestram in ligno pendentem ob oculos vestros.* Isaias item: § *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem & contradicentem.* Nos qui crucem adoramus, ad Christi qui cruci affixus est, participationem utinam perveniamus. Amen.

* *Exod.* 17. *v.* 6. ** *Num.* 17. *v.* 8. *** *Num.* 21. *v.* 9. † *Deut.* 28. *v.* 66. § *Isai.* 65. *v.* 2.

De Adoratione ad Orientem. CAP. XII.

NOn temere, nec sine causa, ad orientem conversi adoramus. Nam, quia ex visibili simul & invisibili natura, h. e. spirituali & sensibili constamus, duplicem quoque adorationem Creatori adhibemus, quam

quemadmodum & mente, corporisque labiis canimus, nec non aqua simul & spiritu baptizamur; duplicique modo Domino copulamur, dum Sacramenta, & dum Spiritus gratiam percipimus.

" Quoniam igitur Deus spirituale lumen est, " ac Christus sol justitiæ, & Oriens in sacris literis appellatur; "" idcirco pars illa, qua sol oritur, ipsi adorationis ergo assignanda est. Ei siquidem id omne quod bonum fuerit consecrare par est, † a quo quidquid bonum est, bonum efficitur, Quin divinus quoque David his verbis utitur: § *Regna terræ cantate Deo, psallite Domino, qui ascedit super cœlum cœli ad orientem.* Scriptura dicit: ¶ *Plantaverat Deus Paradisum in Eden ad orientem; in quo posuit hominem, quem formaverat*: eumque violato præcepto expulit, *atque e regione Paradisi voluptatis habitare fecit*, ad occasum. ‡ Quo fit ut veteris patriæ desiderio,

" 1. *Joan.* 1. *v.* 5. "" *Mal.* 4. *v.* 2. "" *Zach.* 3. *v.* 8. † *Luc.* 1. *v.* 78. § *Psal.* 67. *v.* 33. ¶ *Gen.* 2. *v.* 8. & 3. *v.* 23. ‡ *Levit.* 16. *v.* 14.

‖ defixis ad eam oculis, Deum adoremus. Sed & Moysis tabernaculum ad orientem velum habebat & propitiatorium: tribus quoque Juda, ut præstantior cæteris ad ortum solis castrametabatur. In celeberrimo illo Salomonis templo porta Domini ad orientem sita erat. Quinimo Dominus cum in cruce penderet, verso ad occasum vultu erat: eaque de causa ita adoramus, ut in ejus oculos intendamus. Rursus cum in cœlum reciperetur, versus orientem ferebatur, ipseque a discipulis adoratus fuit, atque ita venturus est, sicut eum in cœlum euntem conspexerunt. § Quemadmodum ipse quoque Dominus dixit: ¶ *Sicut fulgur exit ab oriente, & paret usque in occidentem, ita erit & adventus filii hominis.* Quocirca, quia ejus adventum expectamus, ad orientem adoramus. * Est autem Apostolum hæc traditio, in sacras literas minime relata. Complura enim illi nobis tradiderunt; quæ scriptis consignata non fuere.

‖ *Num.* 2. *v.* 3. § *Act.* 2. 11. ¶ *Matth.* 24. *v.* 27. * *Basil. lib. de Spir. S. c.* 27.

De sacrosanctis & immaculatis Domini mysteriis. CAP. XIV.

DEus qui bonus, qui undequeque bonus, qui plusquam bonus, [1] imo qui totus bonitas est, propter eximias bonitatis suæ divitias, [2] minime passus est, se solum esse bonum, suamve naturam, cujus nulla res particeps esset, verum & eam ob causam primum intelligentes cœlestesque virtutes, tum deinde mundum hunc qui sub aspectum & sensum cadit, postremo ex intelligente sensibilique substantia hominem creavit. Ac res quidem omnes quas condidit, quatenus sunt, bonitatem ipsius participant, cum ipse universis esse sit, quoniam *in ipso sunt omnia*: [3] non solum quia ex nihilo ea ipse produxit, verum ob id etiam quod ejus actio res a se conditas tuetur & conservat; uberius autem animantia. Nam bonum cum eis communicat, tum quatenus sunt, tum quatenus vitam acceperunt. At vero quæ ratione utuntur, tum

[1] *Greg. Naz. orat* 42. [2] *Dion. c. de div. nom.* [3] *Rom.* 11. *v.* 35.

ob ea quæ modo diximus, tum ob ratio-
nem etiam qua pollent, boni participatione
copiosius fruuntur. Arctiori etenim quo-
dammodo necessitudine cum eo conjuncta
sunt: tametsi alioqui ille incomparabili sua
himitate omnia superet.

Atqui homo ratione liberaque voluntate
præditus cum esset, hanc acceperat pote-
statem, ut per suam electionem indesinen-
ter cum Deo conjungeretur, siquidem in
bono, hoc est in obedientia Creatoris per-
stitisset. Quoniam vero Creatoris sui vio-
lato præcepto, morti & corruptioni obnoxius fuit, idcirco generis nostri productor
& opifex, ob misericordiæ suæ viscera, ali-
milatus est nobis, homo factus sine pecca-
to, nostræque naturæ unitus fuit. * Nam
quia imaginem ipsius, & spiritum quem
nobis dederat, minime servavimus, ipse
cum paupere infirmaque natura nostra com-
mercium iniit, quo nos expiaret, atque ad
incorruptionis statum translatos, suæ rur-
sum divinitatis redderet participes.

Oportebat enim, ut non solum genus

* *Hebr.* 2. *v* 17.

nostri primitiæ, sed & quisquis hominum vellet, in illius summi boni participationem veniens denuo nasceretur, novoque subinde cibo, qui hujusmodi nativitati consentaneus esset, enutrius, perfectionis modum attingeret. Quamobrem per suam nativitatem, sive incarnationem, baptismum item, passionem, & resurrectionem, humanum genus a primi parentis peccato, morte quoque ac corruptione liberavit; resurrectionisque factus primitiæ, seipsum viam normamque & exemplar constituit, ut nos quoque vestigiis ejus adhærentes, quod ipse natura est, " hoc adoptione essemus, filii nimirum, & hæredes Dei, ipsiusque cohæredes. Nobis itaque secundam, ut dixi, nativitatem dedit; ut quemadmodum ex Adamo procreati, similitudinem ejus contraximus, maledictionemque, & corruptionem hæreditario veluti jure nacti sumus: sic ex ipso geniti, similes ei efficiamur, atque immortalitatis ipsius, benedictionisque, ac gloriæ hæreditatem consequamur.

" *Rom.* 8. *v.* 17.

Cæterùm quoniam hic Adam spiritualis est, par erat, ut tum nativitas spiritualis esset, tum pariter alimonia. Verum quia duplicis naturæ sumus, & compositi, duplicem quoque nativitatem, atque item compositum cibum esse oportebat. "Quo circa nativitas quidem nobis per aquam & Spiritum, hoc est, per sanctum baptisma data est: cibus autem, ipse est panis vitæ Dominus noster Jesus Christus, "" qui de cœlo descendit. Nam cum voluntariam mortem nostri causa susceptarus esset, ea nocte qua seipsum tradebat, testamentum novum sanctis suis discipulis & Apostolis, atque per eos universis qui in ipsum crederent, condidit. Itaque in sanctæ & illustris Sion cenaculo, cum vetus Pascha cum discipulis suis manducasset, ¶ testamento veteri expleto, discipulorum pedes lavit; hoc suo utique facto symbolum præbens sancti baptismatis: tum deinde frangens panem, porrexit eis, dicens: ♄ *Accipite & comedite, Hoc est corpus meum, quod*

" *Chrisost. hom.* 83. *in Math.* "" *Joan.* 6. v. 48. ¶ *Joan.* 3. 5. ♄ *Math.* 26. v. 26.

quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum. Simili quoque modo calicem vino & aqua temperatum accipiens, impertivit eis, dicens: *Bibite ex hoc omnes: Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum; hoc facite in meam commemorationem. Quotiescunque enim manducatis panem hunc, & calicem bibitis mortem Domini annuntiatis, & resurrectionem ejus confitemini, donec veniat.*

† Quamobrem Si *sermo Dei vivus est & efficax;* § *& omnia quæcunque voluit Dominus fecit:* * *Si dixit fiat lux, facta fuit: fiat firmamentum, & factum est:* ¶ *Si verbo Domini cæli firmati sunt & spiritu oris ejus omnis virtus eorum:* si cœlum & terra, aqua & ignis & aer, omnisque eorum ornatus verbo Domini perfecta sunt; quin & nobilissimum hoc animal, quod homo nuncupatur: si denique ipse Deus Verbum pro sua voluntate homo factus est, atque ex Sanctæ semperque Virginis purissimis & in-

† *Hebr.* 4. *v.* 12. § *Psal.* 134. *v.* 6. * *Gen.* 1. *v.* 3. ¶ *Psal.* 32. *v.* 6.

taminatis sanguinibus ipse sibi nullo semine carnem compegit, cur demum panem corpus, vinum item & aquam, sanguinem suum efficiendi potens non sit? " In principio dixit, *Producat terra herbam virentem*, & ad hanc usque diem, accedente imbre, divino præcepto impulsa & roborata, fetus suos profert: dixit perinde Deus, *Hoc est corpus meum*; &, *hic est sanguis meus*: &, *hoc facite in meam commemorationem*: idque omnipotenti ejus præcepto, donec veniat, "" efficitur (ita quippe dictum est, *donec veniat*) per invocationem huic novæ segeti imbre superveniente; Spiritus sancti nimirum obumbrante virtute. Velut enim quidquid fecit Deus, id Spiritus sancti fecit opera, ita nunc quoque Spiritus sancti operatione facta sunt, quæ naturæ modum excedunt, quæque nisi fide sola, nec capi queunt, nec intelligi. *Quomodo mihi accidet istud*, ajebat Virgo sancta, *quoniam virum non cognosco?* Cui Gabriel Archangelus: *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbabit tibi.* Tu

" *Gen.* 1. *v.* 11. "" 1. *Cor.* 11. *v.* 26.

Tu quoque nunc quæris, qui panis fiat corpus Christi, ac vinum & aqua, sanguis ilius. Ego vero tibi repono, Spiritum sanctum pervenire, & ea facere, quæ sermonem conceptumque omnem procul exsuperant.

Panis porro vinumque adhibentur, quia, cum Deo explorata sit imbecillitas humana, quæ ut plurimum ea aversetur, " quæ usu minime trita sunt; hinc fit ut pro solita sua erga nos indulgentia, per ea quæ naturæ familiaria sunt, res natura sublimiores efficiat. Et sicut in baptismo, quoniam in more hominum positum est, ut aqua lavent, & unguantur oleo, Spiritus gratiam cum oleo & aqua copulavit, ut lavacrum regenerationis illum faceret. Consimili modo, quia hominum consuetudo fert ut panem edant, vinumque & aquam bibant; idcirco conjuncta cum illis sua divinitate, hæc corpus & sanguinem suum fecit, uti per usitata & naturæ consentanea, assurgamus ad ea quæ supra naturam sunt.

Cor-

" *Nyss. orat. catech. c.* 37.

Corpus est divinitati vere unitum, quod ex sancta Virgine ortum habuit, non illud quod in cœlo receptum est, corpus descendat; sed quia panis ipse & vinum in corpus & sanguinem Dei transmutantur. Si requiras, quonam pacto istud fiat, sat tibi sit audire, hoc fieri per Spiritum sanctum, quemadmodum & ex sancta Dei genitrice Dominus sibi ipsi carnem assumsit, quæ in seipso subsisteret: nec amplius quidquam nobis perspectum est & exploratum, quam quod Dei sermo verax efficaxque est, atque omnia potest; " modus vero investigari prorsus nequit. Illud vero dicere licitum non est, quemadmodum naturaliter panis per comestionem, vinumque & aqua per potionem, in corpus & sanguinem comedentis & bibentis transmutantur, ut nec corpus fiant aliud a corpore ejus quod prius exstabat: sic panem qui in Prothesi præparatus fuit, vinum item & aquam per Spiritus sancti invocationem & adventum, modo qui naturæ viribus & conditione sublimior est, in Christi corpus & sanguinem com-

" Nyss. loc. cit.

converti, ut nequaquam duo sint, sed unum & idem.

Quocirca illis qui cum fide digne suscipiunt, in remissionem peccatorum, & vitam æternam cedit, nec non animæ corporisque præsidium; illis contra qui in incredulitate indigne sumunt, in pœnam & supplicium: haud secus atque Domini mors, credentibus quidem vita & incorruptio est, ad æternæ fecilitatis consequutionem; incredulis vero & iis qui Dominum interfecerunt, ad pœnam & vindictam sempiternam.

Nec voro panis & vinum, Christi corporis & sanguinis figura sunt (absit) sed ipsum Domini corpus Deitate dotatum; cum ipse Dominus dixerit, *Hoc est*, non figura corporis, *sed corpus meum*, neque figura sanguinis, *sed sanguis meus*. " Et antea Judæis dixerat: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Caro enim mea verus est cibus, & sanguis meus, verus est potus*. Et rursum: *Qui manducat*

" *Joan.* 6. v. 54 56. 58.

cat me, vivet.

Quapropter cum omni timore & co
scientia pura, fideque non dubia accedamus: & erit omnino nobis sicut credimus
nihil hæsitantes. * Ipsum porro omni anim
& corporis puritate veneremur: duplex
enim est. § Accedamus ad eum ardenti de
siderio, † compositisque in crucis forma
manibus, crucifixi corpus suscipiamus,
culos, labia, frontem adhibentes, divinu
carbonem sumamus, ut desiderii nostri igni
accepto carbonis ardore, peccata nostr
comburat, & corda illuminet, divinique
adeo ignis commercio inardescamus, &
Deos evadamus. ‡‡ Carbonem vidit Isaias:
carbo non est simplex lignum, sed igni
nitum: sic quoque panis communionis
non simplex est panis, sed divinitati
tus. ‡‡‡ Corpus autem quod divinitati co
junctum est, non una natura est; sed
quidem est corporis, altera, conjunctæ
ipso divinitatis. Quo fit ut utrumque

* *Cyrill. Hieros. cat. mystag.* 5. § *Chry*
lo. 3. *in ep. ad Eph.* † *Trull. can.* 10
‡‡ *Isai.* 6. *v.* 2. ‡‡‡ *Vid. Basil. ibid.*

sit una natura, sed duæ.

Abrahamum ex alienigenarum strage revertentem, Altissimi Dei sacerdos Melchisedech pane ac vino excepit. " Mensa illa mensam hanc mysticam præsignabat; quemadmodum sacerdos ille veri sacerdotis Christi figuram & imaginem gerebat. Ait enim: "" † *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*. * Panem hunc, propositionis panes adumbrabant. Hoc purum illud, & incruentum sacrificium est, quod ab ortu solis usque ad occasum sibi oblatum iri Dominus per Prophetam dixit.

Corpus, & sanguis Christi est, in nostri tum animi, tum corporis vegetationem cedens, quod nec consumatur, nec corrumpatur, nec in secessum vadat (absit) sed in substantiam nostram & conservationem, omnigenæ labis propulsationem, omnisque spurcitiei detersionem, ut si adulteratum aurum deprehendat, per explorantem judicii inflammationem illud purget, ne in futuro seculo cum hoc mundo damnemur. Morbis

* *Gen.* 14. *v.* 5. "" *Levit.* 14. *v.* 5.
* *Mal.* 1. *v.* 10. † *Psal.* 109.

bis enim, omnifariisque immissis calami tatibus expurgat, juxta ac Apostolus aic: § *Si enim nosmetipsos dijudicaremus, non uti que judicaremur. Cum judicamur autem a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.* Atque hoc est quod dicit: *Qui enim sumit indigne corpus, & sanguinem Domini, judicium sibi manducat, & bibit.* Pa illud vero purgati, cum Domini corpore spiritu ipsius unimur; & Christi corpus efficimur.

Panis iste delibatio est & primitiæ futuri panis, qui ἐπιούσιος est? Quæ vox vel futurum, seu qui futuro ævo reservatur, significat, vel quo ad tuendam vitam nostram vescimur. Quamobrem sive hoc, sive illo modo accipiatur, is esse Domini corpus haud absurde dicetur. Caro quippe Domini spiritus vivificus est, ut pote quæ ex vivifico Spiritu concepta sit: quod enim ex spiritu natum est, spiritus est. Quæ tamen non a me dicuntur, † ut corporis naturam submoveam, sed ut illius esse vivificum

§ 1. *Cor.* 11. *v.* 31. * *Cyrill. loc. cit.* † *Joan.* 6. *v.* 63.

am divinamque virtutem oſtendam.

Quod ſi nonnulli panem vinumque, corporis & ſanguinis Domini ἀντίτυπα, ſeu imagines figuraſve vocaverunt, velut divinus Baſilius, non hoc poſt conſecrationem dixerunt, ſed antequam oblatio ipſa conſecraretur, vocem hanc uſurparunt.

Nuncupatur participatio, quia per ipſam divinitatis Jeſu reddimur participes. Communio item appellatur, & revera eſt, quia per eam Chriſto communicamus, ejuſque carnem ac divinitatem percipimus, quin etiam aliis alii communicamus ac copulamur. Nam quia ex uno pane participamus, omnes unum Chriſti corpus, & unus ſanguis, aliique aliorum membra efficimus, dum unius corporis ſumus.

Cæterum illud pro viribus cavere nos oportet, ne vel ab hæreticis communionem accipiamus, vel illis tribuamus. Dominus ſiquidem ait: * *Nolite dare ſanctum canibus, & nolite projicere margaritas veſtras ante porcos*; ne eorum & errorem & damnationem contrahamus. Nam ſi omni-

* *Matth. 7. v. 6.*

no hoc præstat, ut tum Christo, tum ali
alii uniamur, extra dubium est omnib
qui nobiscum percipiunt, animo & volu
tate nos copulari. Voluntate siquidem
ac non citra sententiam nostram cōpula ho
patratur. † *Omnes* enim *unum corpus* s
mus, *quoniam ex uno pane participamu*
ut divinus effatur Apostolus.

Ἀντίτυπα porro, hoc est exemplaria, s
turorum dicuntur, non quod vere Chri
corpus & sanguis non sint; sed quod nu
quidem divinitatis Christi per ea partici
efficiamur, tunc autem intelligentia per
lum aspectum.

† 1. *Cor.* 10. *v.* 17.

De Genere Domini, deque sancta Dei g trice. CAP. XV.

QUoniam de sancta, nec digne satis lo
danda semper Virgine & Dei genitri
ce Maria pauca jam in antecessum disputavi
mus, ea exponendo quæ præcipua magis
erant, quemadmodum scilicet vere & pro
prie Dei genitrix sit & appelletur: imo
tuper

superest ut quæ residua sunt expleamus. Ipsa enim quæ ante omne ævum præscientiæ Dei consilio prædestinata erat, variisque Prophetarum imaginibus & sermonibus a Spiritu sancto adumbrata & prænuntiata, præfinitio tandem tempore ex radice Davidis, juxta ac illi promissum erat, orta est. Dictum quippe est: " *Juravit Dominus David veritatem, & non frustrabitur eam; de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Ac rursus: "" *Semel juravi in sancto meo, si David mentiar: Semen ejus in æternum manebit. Et thronus ejus sicut sol in conspectu meo; & sicut luna perfecta in æternum, & testis in cælo fidelis.* § Et Isaias: *Orietur virga ex Jesse, & flos de radice ejus ascendet.*

Cæterum quod Joseph ex Davidica tribu originem duxerit, sacratissimi Evangelistæ Matthæus & Lucas liquido demonstrarunt. Verum Matthæus ex Davide per Salomonem Josephum deducit; Lucas autem, per Nathan. At vero sanctæ Virginis

" *Psal.* 131. *v.* 11. "" *Psal.* 88. *v.* 36. § *Isai.* 11. *v.* 1.

genus uterque siluit.

Quocirca sciendum est, nec apud Hebræos, nec in Scriptura sacra, hunc morem fuisse ut mulierum genus recenseretur. Atqui hoc lege cautum erat, ne tribus ex aliena tribu conjuges accerseret; ac proinde Joseph, qui ex stirpe Davidica oriundus, † justusque erat (hanc enim ei laudem tribuit divinum Evangelium) sanctam Virginem præter legis præscriptum haudquaquam despondisset, nisi ex eodem sceptro et tribu traxisset genus: unde satis habuit Evangelista Josephi genus demonstrare.

Quin illud quoque sciendum est, lege sancitum esse, ut si quispiam sine liberis obiisset, ipsius frater uxorem mortui in matrimonium acciperet, fratri semen suscitaturus. Atque ita quod pariebatur, natura quidem secundi erat, § hoc est, ejus qui genitus erat: secundum legem vero, defuncti censebatur.

Igitur ex stirpe Nathan filii David, ut scitur Levi. Levi genuit Melchi & Par the.

† *Num.* 36. *v.* 6. *& seqq.* § *Deut.* 25 *v.* 5. * *Luc.* 3. *v.* 24.

therem. Panther autem genuit Barpantherem (nam ita vocabatur) Barpanther genuit Joachim; Joachim genuit sanctam Dei genitricem. Rursus ex stirpe Salomonis filii David, Mathan uxorem habuit, ex qua genuit Jacob patrem Joseph. Mortuo autem Mathan, Melchi ex tribu Nathan, filius Levi ac frater Pantheris, uxorem ipsius Mathan, quæ etiam Jacob mater erat, duxit, ex qua genuit Heli. Quamobrem uterini fratres erant Jacob & Heli: ille nimirum ex tribu Salomonis, hic ex tribu Nathan. Porro Heli, qui ex tribu Nathan erat, nullis liberis susceptis mortuus est: qua de causa ipsius frater, qui ex tribu Salomonis erat, uxorem ejus accepit, suscitansque fratri semen, Josephum progenuit. Joseph itaque, natura quidem erat filius Jacob, ex Salomonis domo prognatus, secundum legem vero, filius erat Heli, ex Nathan oriundi.

† Joachim ergo lectissimam illam & summis laudibus dignam mulierem Annam, ma-

† 1. *Reg.* 1. *v.* 10.

matrimonio sibi copulavit. § Verum quem admodum prisca illa Anna, cum sterilitatis morbo laboraret, facto voto, "per promissionem Samuelem genuit, eodem modo hæc etiam per obsecrationem & promissionem Dei genitricem a Deo accepit: ut ne in hac quoque cuiquam ex illustribus matronis cederet. Itaque gratia (nam hoc sonat Anæ vocabulum) Dominam parit (id enim Mariæ nomine significatur, quæ vere omnis creaturæ Domina facta sit, cum Creatoris mater exstiterit) nascitur autem in domo probaticæ Joachim; atque ad templum adducitur. Tum deinde in domo Dei plantata, & per Spiritum saginata, instar olivæ fructiferæ virtutum omnium domicilium instruitur; * ut quæ abstracta mente ab omni seculi carnisque cupiditate, animum una cum corpore Virginem conservasset, velut decebat illam, quæ sinu suo conceptura Deum erat, qui, cum ipse sanctus sit, sanctis requiescit. Unde sanctimoniam colendo templum evadit sanctum & admirabi-

† *Greg Nyss orat. in Nativ. Dom.* "*Exod.* 13. *Hexam.* * *Psal.* 51. *v.* 10.

nobile, Deique altissimi hospitio dignum.

Quoniam autem salutis nostræ hostis virgines observabat, propter Eliæ vaticinium, quo dixerat: † *Ecce Virgo in utero habebit, & pariet filium, & vocabunt nomen ejus Emmanuel (quod interpreteris, nobiscum Deus)* §ideirco ut ille qui sapientes comprehendit in astutia ipsorum, * eum falleret, qui sapientiæ nomine semper gloriatur, puella Josepho desponsatur, ¶ novus scilicet Homus scienti litteras. Hac porrò desponsatio, & Virgini custodiæ, & ei qui virgines observabat, deceptio fuit. At ubi venit plenitudo temporis, Angelus Domini missus ad eam fuit, Domini conceptionem annunciaturus. Quamobrem Dei Filium, veram illam, subsistentemque Patris virtutem, « *non ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri*, hoc est non ex congressu & semine, sed ex benigna Patris voluntate, Spiritu sancto simul operante concepit. Hoc pacto & creatori ut crearetur, & victori ut ei in-

† *Isai.* 7. *v.* 14. § *Matth.* 1. *v* 33.
* 1. *Cor.* 3. *v.* 19. ¶ *Isai.* 29. *v.* 1.
« *Joan.* 1. *v.* 13.

geretur, Deique filio ac Deo ut ex pu
& immaculatis ejus carnibus & sanguinibu
incarnaretur homoque fieret, subminist
vit, primæ parentis partes persolvens. Quem
admodum enim illa citra venereum coitum
ex Adamo formata est: hæc etiam novum
Adam peperit: sic vero, ut hic consue
more partu ederetur, & supra quam ratio
nascendi ferat. Editur enim sine Patre ex
muliere, qui ex Patre sine matre natus ex
stabat. Et quidem quatenus ex muliere, se
cundum pariendi leges editus est: quate
nus autem sine Patre, supra generationis na
turam. Ac rursus quatenus consueto tempo
re, novem expletis mensibus, & inchoato
decimo, sua partui lex constitit: quatenus
autem sine ullo sensus dolore, generationis
legem superavit. Quam enim voluptas non
anteivit, ne dolor sane in partu sequutus est.
Quo spectat illud Prophetæ: † *Antequam*
parturiret, peperit, & illud rursus: *Ante*
quam veniisset tempus parturiendi, fugit,
ac peperit masculum.

Ex ea itaque Dei Filius assumta carne ne
co

† *Esai.* 66. *v.* 7.

tus est; § non homo Deifer, Deoque affla-
tus, sed Deus incarnatus; non in Prophetæ
morem efficientia inunctus, verum totius
ungentis præsentia; ut & illud quod unxit,
factum sit homo, & hoc quod unctum est,
Deus; non immutatione naturæ, sed unio-
ne secundum hypostasim. idem enim ipse
& ungens erat, & unctus, ut Deus nimi-
rum seipsum velut hominem ungens. Ec-
quæ ergo Dei genitrix non erit, quæ Deum
incarnatum ex se genuit? Profecto vere &
proprie Dei genitrix est & Domina, omni-
busque creatis imperat, quæ ancilla mater-
que simul exstitit Creatoris. Quemadmo-
dum autem ille qui conceptus fuit, eam
quæ conceperat, Virginem servavit; sic na-
scendo virginitatem illius incolumem cu-
stodivit, solus per eam transiens, claustra-
que conservans. Ac conceptio quidem per
auditum facta est: ortus vero per eam par-
tem, per quam exire fetus consuescit; quam-
libet aliqui fabulentur illum per genitricis
Dei latus editum esse. Neque enim hoc

§ *Greg. Naz. orat.* 36. *prope fin.* " *Ezech.* 44. v. 2.

ei impossibile erat, ut per portam transiret, sigillis ejus nulla parte labefactatis.

Mansit ergo post partum Virgo, quae semper Virgo mansit, § nulla ad obitum usque suum admissa cum viro consuetudine. Quamvis enim scriptum sit, *Et non cognovit eam, donec peperit filium suum primogenitum*; attamen scire interest, primogenitum illum esse qui primus sit procreatus, etiamsi alioqui unigenitus sit. Etenim primogeniti vox declarat quidem primum ex se genitum aliquem; non perinde tamen alios posthac esse genitos indicat. Atque hæc particula, *donec*, ita præscripti temporis terminum significat, ut sequens tempus continuo non excludat. Dominus siquidem dixit: *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi*; non veluti consummato seculo sese sit abstracturus: ait quippe Apostolus, & ¶ *semper cum Domino erimus*, scilicet post communem resurrectionem.

¶ Enimvero qui fieri potuisset, ut quae Deum genuerat, & ex eorum quæ sequun-

§ *Matth.* 1. *v.* 25. ¶ 1. *Thess.* 4. *v.* 16.

sunt experimento, miraculum noverat, viri complexum admisisset? absit hæc opinio. Nequaquam casti animi fuerit talia cogitare, nedum perpetrare.

Verum beata hæc, atque beneficiis ejusmodi, quæ naturæ modum excedant, cumulata, quos in partu dolores effugerat, passionis tempore sustinuit, materno affectu lacerari sibi viscera sentiens, intimisque cogitationibus veluti gladio discerpta, cum illum quem gignendo Deum esse cognoverat, tanquam sceleratum aliquem morte affici cerneret. Sic porro intelligendum illud est: *Et tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit*. Cæterum mœrorem excepit resurrectionis lætitia, * quæ Deum esse illum personabat, qui carne mortem obierat.

* *Luc.* 2. *v.* 35.

Quis sanctis, ipsorumque reliquiis honos habendus sit. CAP. XV.

SAnctis, ceu Christi amicis, ceu Dei filiis ac hæredibus, suus habendus est honos, Joanne Theologo & Evangelista, dicen-

cente: " *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* "" *Qui circa jam non sunt servi, sed filii.* *Quod si filii: & hæredes.* † *Heredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Dominus quoque in sacris Evangeliis ad Apostolos ita loquitur: § *Vos amici mei estis.* Et, *jam non dicam vos servos.* ¶ *Servus enim nescit quid faciat Dominus ejus.* Ad hæc cum Rex Regum, ‹ & Dominus Dominantium, & Deus Deorum. summus ille omnium conditor & Dominus dicatur, ‡ profecto sancti quoque tum Dii, tum Domini, tum Reges fieri necesse est. ♭ Horum Deus, Deus est, qui tum Dominus, tum Rex est, & appellatur. *Ego enim*, inquit ad Mosen, *sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob.* Quin Moyses Deus Pharaonis a Deo constitutus fuit. Deos porro & Reges, & Dominos dico, non natura; sed quia affectibus suis imperando dominandoque, divinæ imi-

" *Joan.* 1. *v.* 12. "" *Gal.* 4. *v.* 17.
† *Rom.* 8. *v.* 17. § *Joan.* 15. *v.* 14.
¶ *Apoc.* 19. *v.* 16. ‡ *Psal.* 49. *v.* 1.
♭ *Exod.* 3. *v.* 6. ‹ *Exod.* 7. *v.* 1.

imaginis similitudinem, secundum quam conditi erant, nullatenus adulteratam servaverunt, (ipsa quippe regis imago: rex quoque dicitur) velut etiam qui libera voluntatis inductione Deo copulari fuerint, eumque hospitio cordis excipientes, id quod ille suapte natura est, hoc ipsi per gratiam evaserint. Quid igitur causæ esse possit: quominus honore illos prosequamur, qui famuli, amicique, & Dei filii sunt? § Etenim is honor, qui conservis optimis habetur, propensi erga communem Dominum animi argumentum est.

¶ Hi promtuaria & munda Dei domicilia facta sunt; quia Dominus dicit: " *Inhabitado in illis, & inambulabo, & ero illorum Deus.* " Quod item *justorum animæ in manu Dei sint, nec mors eos attingat*, literis sacris proditum est. ‖ Mors enim Sanctorum somnus potius est quam mors. "" *Laboraverunt* enim, *in hoc sæculo, & vivent in finem.* Et, *Pretiosa in conspectu Domini*

§ *Basil. orat. in 40. Martyr.* ¶ *Levit.* 6. v. 12. " 2. *Cor.* 6. v. 16. "" *Sap.* 3. v. 1. ‖ *Psal.* 48. v. 9. "" *Psal.* 115. v. 15.

mini, mors Sanctorum ejus. Quid cer
pretiosum magis, quam in manu Dei esse
Deus quippe vita & lux est. Ita fit, ut qu
in manu Dei sunt, in vita quoque & luc
sint.

Quod autem & per mentem in ipsorum
quoque corporibus Deus habitaverit, testa
tur Apostolus: § *Nescitis quod corpora ve
stra templum sint Spiritus sancti,* "" *qui ha
bitat in vobis?* ¶ *Dominus autem Spiritus
est.* Et. ‖ *Si quis templum Dei violaverit,
disperdet eum Deus.* Cur ergo animatis De
templis, vivisque ejus tabernaculis hono
non sit adhibendus? Hi dum viverent cum
fiducia Deo astiterunt.

Christus Dominus Sanctorum reliquias
velut salutares fontes præbuit, ex quibus
plurima ad nos beneficia manant, suavissi
mumque unguentum profluit. "" Nec quis
quam his fidem detrahat. Nam si aqua in
deserto ex aspera & dura rupe, atque ex asi
ni maxilla, „ ad sedandam Samsoni sitim,
Deo

§ 1. *Cor.* 3. *v.* 6. "" 2. *Cor.* 3. *v.* 7.
¶ 1. *Cor.* 3. *v.* 17. ‖ *Asser. hom. in SS.
Mart.* "" *Exod.* 17. *v.* 6. „ *Jud.* 15. *v.* 17.

Deo ita volente, prosiliit, cur incredibile videatur, ex Martyrum reliquiis suave unguentum scaturire? Minime certe, iis quidem quibus Dei potentia, & honor quo sanctos suos afficit, explorata sunt.

¶ In lege quisquis mortuum tetigerat, immundus consebatur. Verum hi in mortuorum numero habendi non sunt. Ex quo enim ille qui ipsa vita est, & vitæ auctor inter mortuos deputatus est: eos qui cum spe resurrectionis, fideque in ipsum, obdormierunt, nequaquam mortuos appellamus. Qui enim corpus miracula edere queat? Quanam igitur ratione horum opera Dæmones expelluntur, morbi profligantur, ægroti sanantur, cæci visum recipiunt, leprosi mundantur, tentationes ac mœrores discutiuntur, omne datum optimum, iis qui fide non dubia postulant, per eos descendit a Patre luminum. Quid laboris non susceperis, ut patronum nancisceris, qui te mortali regi offerat, & pro te ad eum verba faciat? Annon igitur ii honorandi, qui totius generis humani patroni sunt, Deoque pro

¶ *Num.* 19. *v.* 11. ª *Jac.* 1. *v.* 17.

pro nobis supplices preces adhibent? Honorandi, certe; & quidem ita ut in eorum nomine templa Deo exstruamus, dona offeramus, memorias eorum colamus, atque in iis spiritualiter oblectemur: ea utique laetitia, quæ illis arrideat, quibus invitamur. Ne dum demereri illos studemus, offendamus potius & irritemus. Quibus enim rebus Deus colitur, iisdem servi quoque ipsius oblectantur. Quibus autem Deus offenditur, iisdem etiam milites offenduntur. Quocirca in psalmis & hymnis & canticis spiritualibus, ¶ in compunctione quoque & egenorum miseratione, quibus & Deus potissimum colitur, nos qui fideles sumus, colere sanctos oportet. Statuas eis, & imagines quæ videantur, erigamus: imo virtutes eorum imitando hoc consequamur, ut vivæ ipsorum statuæ imagineſque evadamus. Deiparam ceu vere & proprie Dei genitricem honoremus: Prophetam Joannem, uti Præcursorem & Baptistam, Apostolumque & Martyrem; quandoquidem Dominus dixit, " *inter natos mulierum non surrexit*

¶ *Eph.* 5. *v.* 19. " *Matth.* 11. *v.* 11.

esse *majorem Joanne Baptista*: quin & ipse regni primus prædicator exstitit. Apostolus item, velut Domini fratres, qui eum oculis conspexerunt, ipsiusque perpessionum ministri fuerunt, *quos*, inquam, † & Pater, *præscivit ac prædestinavit, conformes fieri imaginis Filii sui*, " *primum Apostolos*, " *secundo Prophetas, tertio pastores atque Doctores*. Martyres quoque ex omni classe electos, ut Christi milites, quique ipsius biberint calicem, vivificæ mortis ipsius baptismo baptizati, tanquam passionum ipsius & gloriæ socios (quorum antesignanus, fuit ille primus Christi Diaconus, & Apostolus, & primus Martyr Stephanus) tum etiam sanctos patres nostros, deigerosque Monachos, qui diuturniore ac molestiore conscientiæ martyrio perfuncti sunt: § *qui circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, afflicti, angustiati, in solitudinibus errantes*, ¶ *in montibus & spelæis & cavernis terræ, quibus dignus non erat mundus*.

† *Rom.* 8. *v.* 19. " 1. *Cor.* 12. *v.* 28. " *Ephes.* 4. *v.* 1. § *Hebr.* 11. *v.* 37. ¶ *Hebr.* 13. *v.* 7.

Eos denique, qui ante gratiam exstiterunt Prophetas, Patriarchas, justos, qui Christi adventum prænunciarunt. Horum omnium intuentes conversationem, imitemur fidem, dilectionem, spem, zelum, vitam, passionum tolerantiam, patentiam ad sanguinem usque, ut earumdem ac illi gloriæ corum consortes & participes efficiemur.

De sanctorum Imaginibus. CAP. XVII.

* QUoniam autem quidam nos culpant, quod Salvatoris, & Dominæ nostræ, reliquorumque sanctorum Christi servorum imagines adoramus & veneramur; audiant velim quod Deus ab initio hominem ad imaginem suam fecerit. Quid fit igitur ut alii alios adoremus, nisi quia ad Dei imaginem facti sumus? Nam, ut ille rerum divinarum doctissimus interpres Basilius ait: § *Imaginis honor ad exemplar transit*. Exemplar porro est, id cujus effigies exprimitur, ex quo forma derivatur. Quam-

* *Gen.* 1. *v.* 26. § *Basil. lib. de Spir. Sanct. cap.* 8.

Quamobrem Mosaicus populus, tabernaculum, quod cœlestium rerum, imo universæ creaturæ imaginem & figuram gerebat, undique pronus adorabat. Ait quippe Deus Moysi: § *Vide omnia facito secundum exemplar, quod tibi in monte ostensum est.* ¶ Quid Cherubim illa, quæ propitiatorium obumbrabant, nonne humanarum manuum opera erant? † Quid autem celebratissimum illud delubrum Hierosolymitanum; annon manu atque hominum arte constructum erat?

Divina autem scriptura eos insimulat qui adorant sculptilia; sed & eos qui dæmoniis sacrificant. Atqui Gentiles quidem sacrificabat, sacraficabant vero & Judæi: verum Gentiles dæmoniis; Judæi autem, Deo. Ac proinde Gentilium quidem victima rejiciebatur ac damnabatur: justorum autem sacrificium Deo acceptum erat. " *Obtulit enim Noe sacrificium: & odoratus est Deus odorem suavitatis*, ut qui probæ ipsius voluntatis, atque erga se a moris & studii sua-

* *Exod.* 33. *v.* 10. § *Exod.* 25. *v.* 40. ‡ *Heb.* 8. *v.* 5. ¶ *Exod.* 25. *v.* 18. † 3. *Reg.* 6. *v.* 1. " *Gen.* 8. *v.* 21.

vitatem comprobaberet. Ita, Gentilium quidem sculptilia quia dæmonum simulacra erant, improbata atque interdicta sunt.

Præterea quisnam est, qui invisibilis & incorporei, incircumscriptique ac figura vacantis Dei simulacrum effingere queat? Qui de extremæ dementiæ ac impietatis sacit Deum figurare. Atque hinc est, quod in veteri testamento minime tritus erat imagi num usus. Postquam autem Deus per misericordiæ suæ viscera, nostræ salutis caus vere factus est homo, neque jam, uti Abrahæ, humana specie, neque uti Prophetis se conspicandum præbuit, sed cum revera homo secundum substantiam exsisteret, in terris agens cum hominibus est conversatus, miracula edidit, passionem crucemque sustinuit, resurrexit, & assumtus est: ex quo hæc omnia gesta sunt, visaque ab hominibus fuere, literis subinde tum memoriæ alendæ gratia, tum eorum qui his præsentes non fuerant, edocendorum, mandata sunt; ut qui ea non viderimus, audiendo atque credendo digni simus qui beati a Domino prædicemur. Verum quia non omnes literas

norunt, nec legendis libris vacant, inde Patribus visum est, ut hæc in imagines, tanquam in commentarium brevius, velut præclara facinora, referrentur. Sæpe sane contingit, ut cum de passione Domini minime cogitamus, conspecta crucifixionis Christi imagine, in salutiferæ passionis memoriam revocemur, & cernui, non materiam, sed eum cujus est imago, adoremus: quemadmodum scilicet nec Evangelici codices, nec crucis materiam adoramus, verum id quod per hæc exprimitur. Quid enim alioqui discriminis est inter illam crucem quæ Dominum non exprimit, & illam quæ eum repræsentat? Quod etiam de Dei matre sentiendum erit. Etenim is honor, quem ei adhibemus, ad illum refertur, qui ex ipsa carnem sumsit. † Itemque per egregia Sanctorum virorum facinora, ad fortitudinem, & virtutis ipsorum æmulationem & imitationem, nec non in Dei laudes excitamur. Nam, sicut dictum est, ille honor quem conservis optimis præstamus, nostri erga com-

† *Basil. in 40. Mart.* & *Idem de Spir. sanct. cap* 18.

communem Dominum propensi studii argumentum est: quin & imagini habitus honos ad exemplar transfertur. † Est autem hæc traditio ex illis quæ in scripturis minime expressæ sunt: ut ea qua ad orientem versi adoramus; nec non illa qua crucem veneramur, aliæque complures harum similes.

Fertur autem etiam ejusmodi historia quædam; puta cum Abgarus Edessenorum rex pictorem misisset, qui Domini exprimeret effigiem, § neque id pictor ob splendorem ex ejus vultu emicantem assequi posset, Dominum ipsum, admoto divinæ vivificæque faciei suæ pallio, imaginem suam in eo depinxisse, quam ad Abgarum misit, ut hoc pacto desiderio ejus faceret satis.

Quod autem Apostoli plurima nobis sine scriptis tradiderint, testatur ipse Gentium Apostolus Paulus: * *State igitur fratres* (inquit) *& tenete traditiones nostras, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram*. Et ad Corinthios scribens: Lau-

† *Basil. lib. de Spir. sancto cap.* 27.

§ *Evag. lib. hist c.* 27.

* 2. *Thess.* 2. *v.* 14.

Laudo vos fratres, quod per omnia mei memores estis: & sicut tradidi vobis, traditiones tenetis.

† 1. *Cor.* 11. *v.* 2.

De Scriptura. CAP. XVIII.

UNus atque idem Deus est, quem tum vetus, tum novum testamentum prædicant, quique in Trinitate laudatur & celebratur; cum Dominus dixerit: † *Non veni solvere legem, sed adimplere.* Ipse enim salutem nostram operatus est, propter quam omnis scriptura & mysterium omne revelata sunt. Ac rursus: § *Scrutamini scripturas: ipse enim testimonium perhibent de me.* Iterumque dicente Apostolo: ¶ *Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus nostris in prophetis: novissimeque diebus istis loquutus est nobis in Filio.* Quocirca per Spiritum sanctum, & lex, & Prophetæ, & Evangelistæ, & Apostoli, & pastores, & doctores loquuti sunt.

† *Matth.* 5. *v.* 17. § *Joan. v.* 39. ¶ *Hebr.* 1. *v.* 1.

† Omnis igitur *scriptura divinitus inspirata est*, ac prorsus *utilis*; ¶ Quapropter optimum est, summeque animarum saluti conducibile, divinas scripturas scrutari. Velut enim lignum plantatum secus decursus aquarum, sic & anima divinis scripturis irrigata saginatur, fructumque maturum, hoc est rectam fidem, profert, ac perpetuo virentibus foliis, id est, Deo acceptis actionibus, exornatur. Hoc siquidem afferunt Scripturæ sanctæ, ut & ad bonas actiones, & ad puram contemplationem nos componant. In eis namque, tum cohortationem ad omnem virtutem, tum ab omni vitio dissuasionem invenire est. Quamobrem si discendi studiosi fuerimus, multam nobis eruditionem comparabimus: diligentia siquidem, & labore, largientisque Dei beneficio, quidvis conficitur. ‡ Nam qui petit, accipit; & qui quærit, invenit: & pulsanti, aperietur. Pulsemus igitur ad pulcherrimum illud pomarium scripturarum; illud, inquam, mire fragans, suave, elegantissimum, quod

† 2. *Tim.* 3. *v.* 16. ¶ *Psal.* 1. *v.* 3.
‡ *Luc.* 11. *v.* 10.

quod spiritualium divinarumque avium omnigenis garritibus aures nostras circumsonet, cor nostrum tangat, " ac tum mœrore confectum demulceat, tum ira percitum obleniat, æterna illud letitia implens; * quod mentem nostram in dorsum auro rutilans lucidissimumque columbæ imponat, "" cujus fulgentissimis pennis ad unigenitum Filium hæredemque agricolæ vineæ illius intelligibilis subvehatur, & ad Patrem luminum ejus opera adducatur. Cœterum haud negligenter pulsandum nobis est, sed alacri constantique animo, ne pulsando tandem fatigemur. Sic enim demum nobis aperietur. Si semel atque iterum legerimus, nec quæ a nobis lecta erunt, intelligamus, ne animis concidamus: sed persistamus, meditemur, & interrogemus. Ait enim. † *Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi; majores tuos, & dicent tibi.* § Non enim omnium est scientia. Ex hujus horti fonte perennes ac purissimos latices salientes in vitam æter-

" *Psal.* 67. *v.* 14. "" *Matth.* 23. *v.* 38. * *Jacob.* 1. *v.* 17. † *Deut.* 32. *v.* 7. § 1. *Cor.* 8. *v.* 7. ¶ *Joan.* 4. *v.* 14.

nam hauriamus. Hic, cum inexplebili quadam voluptate ac oblectatione versemur. Ejusmodi enim est scripturarum gratia, ut exhauriri nequeat. " Quinimo si quid utilitatis ex externis auctoribus decerpere possimus, quominus id faciamus nihil vetat; dummodo probi nummularii simus, verum ac purum aurum aggerantes, adulterinum vero repudiantes. Quæ bene ornateque dicta sunt, sic suscipiamus, ut ridicula numina, absurdasque fabulas, canibus projiciamus: ex ipsis enim adversus ipsos roborem plurimum licebit adipisci.

Sciendum porro est, viginti duos libros esse veteris testamenti, totidem nempe quot Hebraicæ linguæ elementa sunt. Hebræis enim duo & viginti elementa sunt; ex quibus quinque duplicantur: adeoque septem & viginti sunt. Duplex enim est litera *Caph*, & *Mem*, & *Nun*, & *Pe*, & *Sade*. Quo fit ut libri quoque eodem modo, duo quidem & viginti numerentur, cæterum septem & viginti reperiantur; quoniam scili-

" *Basil. hom. de ea re.* "" *Cyrill. Hieros. cat.* + † *Epiphan. de Pond. & mens.*

scilicet quinque duplices sunt. Nam liber Ruth cum libro Judicum jungitur, unusque Hebræis liber censetur. Primus item & secundus Regnorum, unus liber est. Tertius itidem & quartus Regnorum, unus liber. Primus quoque & secundus Paralipomenon, unus liber: ac denique primus & secundus Esdræ, liber unus. Ad hunc modum libri omnes in quatuor Pentateuchos, quinquernionesve compinguntur; cumque alii duo supersint, sic proinde se habent libri in canone recepti. Legales, quinque sunt, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium. Hic primus quinquernio est, qui Lex etiam appellatur. Sequitur alter quinquernio, eorum quæ γραφεῖα, nuncupantur, a quibusdam vero Hagiographa. Est autem hujusmodi: Jesus Nave, Judices una cum Ruth, liber unus, Regnorum primus cum secundo, liber unus; tertius item cum quarto, liber unus. Habes secundum quinquernionem. Tertius porro librorum quinquernio versibus constat, nempe liber Job, Psalterium, Proverbia Salomonis, ejusdem Ecclesiastes, & Cantica Canticorum

rum. Quartus quinquernio Prophetarum libros complectitur. Duodecim Prophetæ liber unus; tum Esaias, Jeremias, Ezechiel, & Daniel. His accedunt uterque Esdræ, qui libro uno continentur & Esther. Panaretus autem (q. d. omnium virtutum promptuarium) id est Sapientia Salomonis, & Sapientia Jesu, quam a Syrachi patre Hebraice editam, ipsius nepos Jesus, ac Syrachi filius, Græce postea transtulit. Hi quamvis alioqui præclari & elegantes libri sint, non tamen illis aliis annumerantur, neque in Arca positi erant.

Jam vero novi testamenti libri isti sunt: quatuor Evangelia, nempe secundum Matthæum, Marcum, Lucam, Joannem; Acta Apostolorum, auctore Luca Evangelista. Septem Catholicæ Epistolæ, una Jacobi, duæ Petri, tres Joannis, Judæ una; Pauli Apostoli epistolæ quatuordecim; Joannis Evangelistæ Apocalypsis; Canones denique sanctorum Apostolorum per Clementem concinnati.

EOrum quæ de Christo dicuntur, quadruplex, ut in genere dicam, est modus. Quædam enim ei ante humanitatem assumtam conveniunt; quædam in ipsa unione; quædam post unionem; quædam postremo post resurrectionem. Atque eorum quæ humanitatis assumtione anteriora sunt, sex sunt modi. Alia enim naturæ conjunctionem & consubstantialitatem cum Patre declarant, ut, ‘ *Ego & Pater unum sumus*: & illud, “ *Qui videt me, videt & Patrem*: nec non, “‘ *Cum in forma Dei esset*; cæteraque id genus.

Alia perfectionem indicant, veluti, † *Filius Dei*, & * *figura substantiæ ejus*. Et illud, § *Magni consilii Angelus, admirabilis, consiliarius*, & similia.

Alia mutuam personarum circumincessionem, ut illud; ¶ *Ego in Patre, & Pater in me est*: nec non fixamque & insolubilem alterius in altera hæsionem; v. g. ‘ Verbum, &

‘ *Joan.* 10. *v.* 30. *Joan.* 14 *v.* 9. “‘ *Phil.* 6. *v.* 6. † *Joan.* 1. 3. *&c.* * *Hebr.* 1. *v.* 3. § *Isai.* 9. *v.* 6. ¶ *Joan.* 14. *v.* 10. ‘ *Cyril. lib.* 14.

& sapientia, & potentia, & splendor. ' Nam & Verbum in mente (Verbum autem substantivum intelligo) itemque sapientia in sapiente, potentia quoque in potente, & in luce splendor, citra ullum excessum ista sunt, ex illis profluentia.

Alia ita efferuntur, tanquam de eo qui Patrem auctorem agnoscat, ut illud; " *Pater major me est*. "" Ab ipso quippe habetum quod est, tum ea omnia quæ habet. Quod est, inquam, per generationem, non per creationem (cujus generis illud est, * *Ego ex Patre exivi, & venio*: &, § *Ego vivo propter Patrem*) Omnia autem ea quæ habet, non per concessionem, aut documentum, sed ut ex causa, velut cum ait: ¶ *Non potest Filius a se facere quidquam, nisi viderit Patrem ita facientem*. Nam si Pater non est, certe nec Filius. Ex Patre enim est Filius, & in Patre, & una cum Patre, & non post Patrem. Consimili modo, ea quæ facit, ex ipso, & cum ipso facit. Una enim & eadem

' *Thess. p.* 341. " *Joan.* 14. *v.* 28. *Greg. Naz. orat.* 36. * *Joan.* 16. *v.* 28. § *Joan.* 6. *v.* 58. ¶ *Joan.* 5. *v.* 19.

& eadem est; eadem, inquam, & non similis, Patris & Filii Spiritus sancti voluntas, operatio, & virtus.

Alia insuper dicuntur, tanquam Patris voluntas opera illius impleatur, non ut per instrumentum aut servum, sed ut per substantivum & subsistens ipsius Verbum, sapientiam, & potentiam: propterea quod unus in Patre & Filio motus consideratur. Sic illud, [1] *Omnia per ipsum facta sunt*. Et illud, [2] *Misit Verbum suum, & sanavit eos*. Ac rursus istud, [3] *Ut cognoscant quia tu me misisti*.

Alia denique prophetico modo; quorum etiam duplex genus est. Quædam enim uti futura dicuntur; velut, § *Manifeste veniet*. Et illud Zachariæ, * *Ecce Rex tuus veniet tibi*. Et quod a Michæa dictum est: ¶ *Ecce Dominus egredietur de loco suo, & descendet, & ascendet super excelsa terræ*. Quædam autem, licet futura, dicuntur tamen uti præterita; ut, ♄ *Hic Deus noster: post-hæc*

[1] *Joan.* v. 3. [2] *Psal.* 106. v. 20. [3] *Joan.* 11. v. 42. § *Psal.* 49. v. 3. * *Zach.* 9. v. 9. ¶ *Mich.* 1. v. 3. ♄ *Bar.* 3. v. 38.

hæc in terra visus est, & cum hominibus con-
versatus est. Illud item, *Dominus creavit*
me initium viarum suarum ad opera sua. Et
illud, " *Propterea unxit te Deus, Deus*
tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis: & si-
milia.

Et quidem ea quæ unionem antecedunt,
de ipso quoque post unionem dicuntur: quæ
autem unionem sequuntur, ante unionem non
item, nisi secundum prophetiam, ut prædi-
ximus. At vero eorum, quæ in unione sunt,
triplex est modus. Nam cum a præstantiori
patre verba facimus, carnis Deificationem
& in Verbum assumtionem, & superexal-
tationem, cæteraque id generis dicimus,
quo opes illas declaremus, quæ carni ex sua
cum sublimissimo Deo Verbo unione, ar-
ctissimaque conjunctione accesserunt. Cum
autem ab inferiori parte, incarnationem
Dei Verbi, humanitatis assumtionem, ex-
inanitionem, paupertatem, & humiliatio-
nem dicimus. Hæc enim & similia, ob
suam cum humanitate mistionem, Verbo ac
Deo tribuuntur. Denique cum de utrisque

" *Psal.* 44 *v.* 8.

simul nobis est sermo, unionem, communionem, unctionem, naturalem intimamque cohærentiam, conformationem, cœteraque id generis vocabula usurpantur. Ob hunc igitur tertium modum prædicti duo modi dicuntur. Per unionem enim indicatur, quid utrumque ex sua cum eo quod una secum exsistit, compaginatione & circumincessione adeptum sit. Etenim ob unionem secundum hypostasim, " & caro Deificata, ac Deus esse facta, divinitatisque cum Verbo socia dicitur: "" & rursus Deus Verbum carnem assumsisse, & homo factus esse dicitur, creatura itidem, & novissimus appellatur: non quod duæ naturæ in unam naturam compositam conversæ sint (fieri enim nequit, † ut in una eademque natura proprietates naturales inter se contrariæ simul exsistant) sed quia duæ naturæ secundum hypostasim unitæ sunt, mutuamque inter se citra confusionem & immutationem, circumincessionem habent. Circumincessio autem, non a carne, sed divinitate profecta

Æ est

" *Greg. Naz. orat.* 39. "" *Isai.* 53. *v.* 3.
† *Supra lib.* 3. *cap.* 2.

est. Neque enim fieri possit, ut caro divinitatem circumvadat, verum divina natura semel carnem permeando, carni quoque contulit, ut ad se modo quodam ineffabili commearet: quod quidem nos unionem dicimus.

Sciendum autem est, in primo & secundo genere eorum quæ in unione sunt, reciprocationem considerari. Nam cum de carne sermonem habemus, Deificationem, & assumtionem ad Verbum, super exaltationemque, & unctionem dicimus. Hæc enim a divinitate proficiscuntur, & circa carnem considerantur. Rursus, cum de Verbo loquimur, exinanitionem, incarnationem, humanationem, humiliationem, & similia vocabula adhibemus: quæ quidem, ut diximus, a carne ad Verbum ac Deum transferuntur. Ipse enim istæc sponte sustinuit.

Jam vero eorum quæ unionem sequuta sunt, tres sunt modi. Primus, quo divina natura declaratur, cujusmodi est illud, "*Ego in Patre & Pater in me est*. Et illud, "" *Ego & Pater unum sumus*. Ac denique om-

" *Joan.* 14. *v.* 10. "" *Joan.* 10. *v.* 30.

omnia quæ ante humanitatis assumtionem de eo dicuntur, etiam post assumtam humanitatem dicentur; uno hoc excepto, quod nondum assumserat carnem & carnis naturales proprietates.

Secundus, quo natura humana insinuatur; ut illo loco: "*Quid me quæritis interficere, hominem qui veritatem loquutus sum vobis?* Et in isto: "" *Ita exaltari oportet Filium hominis*, & alia hujusmodi.

Horum porro, quæ humano more de Salvatore Christo prædicantur, ac scripta sunt, sive dicta, sive gesta fuerint, sextuplex est modus. Quædam enim ex illis naturaliter ratione carnis assumtæ facta dictaque sunt; § velut partus ex Virgine, atque ætatis incrementum, & profectus; fames item, & sitis, defatigatio, lacrymæ, somnus, clavorum fixura, mors, aliaque similia, quæ naturales & inculpatæ passiones sunt. In his enim omnibus est divinæ naturæ cum humana conjunctio; et si corporis ea vere esse creduntur: quippe cum divinitas

" *Joan.* 7. *v.* 19. *&* 8. *v.* 40. "" *Joan.* 3. *v.* 14. § *Sup. lib.* 3. *c.* 21. 22. 23.

nihil horum pertulerit, sed per ea salutem nobis procurarit.

‹ Quædam fingendi modo, ut cum Christus de Lazaro quærit: " *Ubi posuistis eum?* Cum ad ficulneam pergit, cum se subducit & cum orat: "" item cum fingit se longius ire. * His enim ac similibus neque ut Deus neque ut homo, opus habebat: ¶ verum humano more hoc prætexebat, quod necessitas atque utilitas exposcebat. E. g. idcirco precabatur, ut se minime Deo adversari ostenderet; ♳ utque Patrem, velut sui causam, honore afficeret. Interrogabat, non quod ignarus esset, sed ut se, cum eo quod Deus manebat, hominem quoque vere esse demonstraret. Hæc denique ipsi causa secedendi erat, ut nos doceret pericula temere non adire, nec nos ipsos ultro prodere.

Quædam rursus dicuntur, per vindicationem, & relationem: ut illud, ,,, *Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti?* Et

‹ *Joan.* 11. *v.* 34. "" *Mat.* 21. *v.* 19. """ *Mat.* 12. *v.* 15. *Joan.* 11. *v.* 41. * *Luc.* 14. *v.* 27. ¶ *Greg. Naz. orat.* 36. ¶ *Sup. lib.* 3. *c.* 24. ♳ *Mat.* 27. *v.* 46.

Et, " *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Et illud, "" *factus pro nobis maledictum.* Item, ¶ *Ipse Filius subjicientur ei, qui subjecit ipsi omnia.* § Nec enim quatenus Deus, nec quatenus homo, a Patre unquam derelictus fuit, nec peccatum, nec maledictum factus est, nec Patri subjici opus habet. Etenim qua ratione Deus est, æqualis est Patri, non autem adversarius, nec subjectus: qua autem homo, nunquam Patri contumax fuit, ut ei demum subjici necesse sit. Ex quo sequitur eum, nostri assumta persona, partes nostras suscipiendo, his verbis usum esse. Nos siquidem illi eramus, peccato & maledicto obnoxii, contumaces & refractarii, eoque nomine derelicti.

* Quædam autem, per excogitatam mente præcisionem. „ Nam si ea quæ revera disjungi nequeunt, hoc est, carnem a Verbo, sejunxeris, servus dicitur, & ignarus: quia servæ & ignorantis naturæ erat: ac nisi ea-

" 2. *Cor.* 5. *v.* 2. 1. "" 1. *Cor.* 15. *v.* 36.
¶ *Greg. Naz. ibid.* § *Greg. Naz. or.* 36.
* *Sup. lib.* 3. *c.* 22.

ro Deo Verbo fuisset copulata, serva pr
cul dubio & ignorans exsitisset: vetum c
hypostaticam cum Deo Verbo unionem i
habuit, ut nec serva esset, nec ignara. E
dem de causa Patrem Deum suum voca

Quædam vero, ut se nobis manifestare
nostramque firmaret fidem. Velut cum a
"*Pater clarifica me apud temetipsum, clar
tate quam habui, priusquam mundus ess
apud te*. Etenim ipse quidem & tunc cla
ficatus erat, & nunc clarificatur: nequaqua
vero nobis claritas ejus patefacta comp
bataque erat. Huc enim facit quod ab A
postolo dictum est: "" *Qui definitus est Filius
Dei invirtute, secundum spiritum sanctifica
tionis, ex resurrectione mortuorum*. ¶ S
quidem per miracula resurrectionemque, S
sancti Spiritus adventum, mundo declaratus
est, atque persuasum, eum Dei Filium e
se. Ac illud quoque, """ *Proficiebat sapie
tia & gratia*.

Nonnulla postremo ita de eo dicuntur,
tan

" *Joan.* 17. *v.* 5. "" *Rom.* 1. *v.* 4. ¶ *Chrys
bom.* 1. *in Epist. ad Rom. & alii*. """ *Luc.*
2. *v.* 32.

tanquam Judæorum personam acciverit, se in eorum numerum adscribendo, ut dum Samaritanæ ait: ' *Vos adoratis quod nescitis: nos adoramus quod scimus, quia salus ex Judæis est.*

Tertius modus ille est, quo una hypostasis declaratur, atque ambæ simul naturæ ostendantur. Cujus generis illud est. " *Ego vivo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse vivet propter me.* Et illud, "" *vado ad Patrem & jam non videbitis me.* Item ¶ *Dominum gloriæ nunquam crucifixissent.* Illudque tandem, † *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis qui est in cælo;* aliaque similia.

Eorum demum quæ resurrectionem sequuntur, quædam divinitati conveniunt, ut, „ *Baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.* Nam hic Filius uti Deus adhibetur. Et illud, „„ *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consum-*

' *Joan.* 4. *v.* 22. " *Joan.* 6. *v.* 58. "" *Joan.* 16. *v.* 10. ¶ 1. *Cor.* 2. *v.* 8. † *Joan.* 3. *v.* 13. „ *Mat* 28. *v.* 19. & 20. „„ *Ibid. v.* 9.

mationem seculi; aliaque id generis. Etenim ut Deus nobiscum est. Alia humanitati conveniunt, ut illud, *Tenuerunt pedes ejus*. Et illud, *Illic me videbunt*; & similia.

Eorum porro quæ post resurrectionem humanitati conveniunt, varii modi sunt. Nonnulla enim vere quidem, non tamen naturali modo, sed certa dispensatione contigerunt, ut videlicet fidem faceret illud ipsum corpus quod suplicio affectum fuerat, vere xisse, quo in genere sunt cicatrices, manducatio, ac potio postquam revixit. Quædam autem vere & pro eo ac naturæ conse taneum est; v. g. de locis in loca citra laborem migrare, ac per januas clausas ingredi. ' Quædam per simulationem: uti, " *Finxit se longius ire*. Quædam rursus utique naturæ congruunt; ut, " *Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum: & Deum meum & Deum vestrum*. Et illud, "" *Introibit Rex gloriæ*. Item, ¶ *Sedet in dextera majestatis in excelsis*. Quædam denique sic accipienda, tanquam in ordinem re-

' *Luc.* 24. *v.* 27. " *Joan.* 20. *v.* 17
"" *Psal.* 23. *v.* 7. ¶ *Hebr.* 1. *v.* 3.

noſtrum ſe adſcribat, per mentis præciſionem ſcilicet, ut illud, *Deum meum & Deum veſtrum*.

Quamobrem ea quæ ſublimia ſunt divinæ naturæ, omnique paſſione ſuperiori, ac incorporeæ tribui neceſſum eſt; quæ autem humilia, humanæ: quæ vero communia, compoſito; hoc eſt, uni Chriſto, qui Deus & homo eſt. Itemque compertum habere oportet, utraque unius & ejusdem Domini noſtri Jeſu Chriſti eſſe. Nam quod utriuſque proprium eſt agnoſcentes, atque utraque ab uno & eodem geri perſpicientes, rectam tenebimus fidem, nec errabimus. " Ex quibus omnibus initarum naturarum diſcrimen dignoſcitur, quoque (ut ſacratiſſimi Cyrilli verbis utar) licet in naturali qualitate non idem ſint divinitas & huminitas: unus tamen ſit Filius, & Chriſtus, & Dominus: & unus cum ſit, una quoque ſit ipſius perſona; quippe cum ex eo quod naturarum diſtinctio agnoſcatur, nullam tamen partitionem unio ſecundum

" *Epiſt. Apologetica ad Acacium Melitinæ Epiſcopum*,

hypostasim admittat.

Deum auctorem malorum non esse. CAP. XI.

*SCire illud attinet, moris esse scripturæ, ut Dei permissionem actionem ipsius appellet: " velut cum ait Apostolus in epistola ad Romanos: "" *An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem,* † *aliud autem in contumeliam?* Idcirco nimirum, quod ipse & hæc & illa facit. Solus enim ipse universorum opifex est, Haud tamen ipse vel nobilia, vel ignobilia vasa efficit, verum sua cujusque voluntas ac electio. Atque id liquet ex his verbis, quibus idem Apostolus utitur epistola ad Timotheum secunda: § *In magna domo non solum sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia: & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam. Si quis ergo emundaverit se ab istis, erit vas in honorem, sanctificatum & utile Domino, ad omne opus bonum pa-*

* *Damasc. dial. cont. Manich.* "" *Rom. 9. v. 21.* † *Basil. homil. quod Deus non sit auctor malorum* § *2. Tim. 2. v. 20.*

paratum, Constat autem purgationem voluntate fieri. Si quis enim, inquit, *emundaverit se*. Atqui consectaria conversio ex adverso respondet: quod si non emundaverit, erit vas in contumeliam, inutile Domino, ac dignum quod confrigatur. Quocirca tum locus hic quem adduximus, tum ille, « *Conclusit Deus omnes in credulitate* & iste. *Dedit eis Deus spiritum compunctionis, oculos ut non videant, & aures non audiant*; hæc, inquam, omnia non ita accipienda sunt, quasi Deus hæc ipse effecerit, sed quod permiserit, tum ob arbitrii libertatem, tum quia bonum ejusmodi naturæ est, ut a vi & coactione liberum sit.

† Scripturæ ergo consuetudo est, ut Dei permissionem vocet, ac si ejus actio & opus esset. * Quin etiam a Deo *mala creari* ait, *neq; esse malum in civitate quod non fecerit Dominus*, his verbis Deum malorum auctorem esse minime ostendit: sed quia mali vocabulum anceps est, duplicemque significationem habet. Interdum enim id

« *Rom.* 11. *v.* 32. *&* 8. † *Isai.* 45. *v.* 7. * *Amos*, 3. *v.* 6.

quod suapte natura malum est indicat, quod quidem cum virtute ac Dei voluntate pugnat: interdum quod sensui nostro malum ac molestum est; velut afflictiones & immissæ calamitates, quæ quidem opinione nostra malæ sunt, ut quæ dolorem afferant, at revera bonæ. Iis enim qui sagacis animi sunt, ad conversionem & salutem conferunt. Atque harum demum Scriptura Deum auctorem esse commemorat.

Sciendum autem est, harum etiam causam in nobis esse. Etenim ex voluntariis malis oriuntur involuntaria.

Illud item advertendum est, hoc Scripturæ familiare esse, † ut nonnulla, quæ ex eventu dici debebant, ita exprimat, tanquam causam significent. Cujus generis illud est: * *Tibi soli peccavi & malum coram te feci: ut justificeris in sermonibus tuis, & & vincas cum judicaris*. Non enim qui peccavit eo peccavit, ut Deus victoriam obtineret: nec vero Deus peccato nostro opus habebat, ut ex illo victor appareret, Deus enim citra comparationem ullam, omnes

prop-

† *Basil. loc. cit.* * *Psal.* 50. *v.* 6.

prorſus, atque illos etiam qui non peccant, vincit, ac ſuperat, ut qui rerum conditor ſit, incomprehenſibilis, & increatus, naturalemque ac non adventitiam gloriam habeat; ſed quia nobis peccantibus, nihil injuſte agit, cum in fert iram; cumque pœnitentibus ignoſcit, vitii noſtri ac nequitiæ victor oſtenditur; non tamen ut nos idcirco peccemus, ſed quia ita contingit. Perinde ac ſi quis, dum ad opus ſedet, ſuperveniente amico dicat; idcirco amicus venit, ut nihil hodie operis faciam. Atqui amicus non eo venit, ut nihil ille operis faciat, ſed ita eventus tulit. Nam dum in ſuſcipiendo hoſpite diſtrahitur, ab opere abſtinet. Dicuntur autem hæc eventitia, quoniam res ita eveniunt. Deus porro non ſolus ipſe juſtus eſſe vult, ſed & omnes quantum fieri poteſt, ad ſui ſimilitudinem accedier.

Non eſſe duo principia. CAP. XXI.

QUod non ſint duo principia, alterum bonum, & alterum malum, hinc no-

bis perspectum fiet. " Pugnant enim inter se bonum & malum, seque mutuo destruunt: neque alterum in altero, aut cum altero possunt exsistere. ' Itaque in sua quoque parte universi erunt. Ac primum quidem non modo ab ipsa universitate, sed & ab universi parte utrumque horum circumscribetur.

Deinde quæro, quisnam suam utriusque regionem assignarit? † Neque enim ea amicce inter se coiisse, aut fedus sanxisse inquient; quandoquidem malum mali nomen amittet, si pacem collat, & cum bono conveniat; nec rursus bonum boni nomen retinebit, si cum malo necessitudinem habeat. Quod si alius quispiam est, qui utrique sedem attribuerit, ille Deus potius erit.

Quin & duorum alterum necesse erit, nempe ut vel se invicem tangant, atque destruant: vel medius quispiam locus sit, ubi nec bonum, nec malum versetur, velut septum quoddam ab altero alterum diri-

meds

" *Athan. cont. Gentes.* ' *Ibid. cont. haeretic.* † *Damasc. dial. cont. Manich.*

mens. Ita jam non duo, sed tria principia futura sunt.

Horum item alterum sit oportet, nempe ut vel pacem inter se colant; quod quidem a malo alienum est (non enim malum est, quod pacem servat) vel inter se pugnent, quod itidem a boni natura abhorret (nam quod pugnat, bonum perfecte non est) vel malum quidem pugnet, bonum autem non repugnet: verum a malo corrumpatur, vel in perpetuo mœrore & molestia versetur: quod sane a bono alienum est. Perspicuum igitur est, unum duntaxat esse principium ab omni malo liberum & immune.

At, inquiunt, si res ita se habet, quænam mali origo est? Neque enim fieri potest, ut malum a bono originem traxerit. [a] Respondemus malum nihil aliud esse quam privationem boni, atque ab eo quod naturæ consentaneum est, in id quod naturæ repugnat, deflexionem. [b] "Nulla res enim suapte natura mala est. Omnia quippe quæ fecit Deus, quatenus exstant, valde bona

[a] *Basil. hom. Deum non esse caus. malor.*
[b] *Gen.* 1. *v.* 32.

sunt. Quo fit, ut dum ita manent, sicut condita fuere, valde bona sint. At dum sponte ab eo quod naturæ consentaneum est, abscedunt, atque ad id quod naturæ adversatur, sese conferunt, in malum labuntur.

Atqui sic comparatum est, ut cuncta conditori serviant, illique obediant. Quare cum creaturarum aliqua frenum excutit, contumaxque sit creatori suo, tum denique sui ipsa vitii auctor est. Malum enim non substantia aliqua, neque substantiæ proprietas est, sed accidens; hoc est, ex eo quod naturæ aptissimum est, in id quod naturæ repugnat, voluntaria deflexio, sive peccatum.

Undenam igitur peccatum? Liberæ nimirum diaboli voluntatis inventum est, est. Ergo diabolus malus? § Certe quatenus conditus est, non est malus, sed bonus. Angelus enim lucidus, ac eximie splendidus ab opifice conditus fuit, arbitriique libertate præditus, ut pote rationalis. Cæterum a virtute quæ naturæ consentanea est, spon-

sponte desciscens, in malitiæ caliginem provolutus est; discedens procul a Deo, qui solus bonus est, ac vitæ & lucis parens: ex ipso enim bonitatem trahit, quidquid est bonum, & quatenus ab ipso voluntate (non enim loco) abscedit, in malo hæret.

Cur Deus eos condiderit, qui peccaturi essent, nec pœnitentiam acturi. CAP. XXII.

† DEus pro sua bonitate, ea quæ fiunt, ex nihilo produxit, præsciusque est futurorum. Itaque nisi exstituri essent, ne mali quidem futuri essent, nec prænoscerentur. Eorum enim quæ sunt, cognitiones sunt; eodemque modo, eorum quæ omnino futura sunt, prænotiones. "Prius enim est, ut aliquid sit: ac tum ut bonum sit, vel malum. Quod si, cum propter Dei bonitatem exstituri essent, idcirco eorum ortus impeditus fuisset, quod propria voluntate mali futuri erant, malum certe Dei bonitatem vinceret. Quocirca Deus omnia quæ facit, bona facit: at propria cujusque voluntate

† *Dam. dial. cont. manich.* " *Chrys. hom. in epist. ad Rom.*

tate accidit, ut bonus vel malus sit. Ergo cum diceret Dominus, " *Melius erat homini illi, si natus non fuisset*, nequaquam opus suum improbabat, sed malitiam illam, quam res a se condita ex propria voluntate & socordia contraxerat. Nam per voluntatis ignaviam inutile sibi conditoris beneficium reddiderat. Haud secus ac si quis, cum opes & imperium a Rege acceperit, eum qui de se tam bene meritus sit, tyranni more opprimat: quem rex, in potestatem redactum, merito pœna afficiet, siquidem ullum a tyrannidis occupandæ proposito abduci non posse conspexerit.

" *Marc.* 14. *v.* 21.

De Lege Dei & Lege Peccati. CAP. XXIII.

BOnus est Deus, & omni bonitate sublimiori bonaque item est ipsius voluntas. Id demum enim est bonum, quod vult Deus. " Lex autem illud præceptum est, quo hoc edocemur; ut in ipso manentes, in luce versemur. Cujus præcepti transgressio peccatum est. Hoc porro suggerente diabo-

" 1. *Joan.* 1. *v.* 5.

lo, " nobisque nulla vi impressa libere susci-
pientibus conflatur. Atqui ipsum quo-
que peccatum Lex appellatur.

Dei itaque lex mentem nostram inscen-
dens, eam ad se trahit, conscientiam no-
stram exstimulando, quæ & ipsa mentis no-
stræ Lex dicitur: quinimo maligni sugge-
stio, hoc est Lex peccati, membra carnis
inscendens, per eam nos aggreditur. Nam,
quia sponte semel Dei legem infregimus,
admissa nequissimi suggestione, ei deincepts
ad nos aditum aperuimus, qui nos ipsi pec-
cato vendiderimus. Quo fit ut corpus no-
strum promte & facile ad illud impellatur.
Quocirca ille peccati odor, sensusque, qui
in corpore residet, sive concupiscentia, &
voluptas, Lex in membris carnis nostræ ap-
pellatur.

† Ac proinde lex quidem mentis meæ,
id est conscientia, condelectatur legi Dei,
sive præcepto, illudque vult. At lex pec-
cati, hoc est suggestio, per eam legem, quæ
est in membris meis, sive per corporis, at-
que illius animæ partis quæ rationis est ex-

" *Rom.* 7. v. 23. † *Rom.* 7. v. 22.

pers, cupiditatem, propensionemque, ac motum, repugnat legi mentis meæ, hoc est conscientiæ, & captivat me (tametsi Dei legem velim & amem, nolimque peccatum, atque illud averser) ob commistionem nimirum, ac tum per levorem mollitiemque voluptatis, tum per corporis, & brutæ illius, ut dixi, animæ partis concupiscentiam me ludificatur, adducitque ut peccato serviam. " At *Deus id quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur* (lex) *per carnem, mittens Filium suum in similitudinem carnis peccati* (carnem enim ille assumsit, peccatum non item) *damnavit peccatum in carne, ut justificatio legis impleretur, in iis qui non secundum carnem ambulant, sed secundum Spiritum.* "" Nam *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram*, legique mentis nostræ, adversus eam quæ est in membris nostris, vires præstat. Illud siquidem, *Quid oremus sicut oportet, nescimus: sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, * idem est ac si diceret, ipse nos docet quid orandum sit. Ex quo fit, ut Dei

" *Rom.* 8. *v.* 3. "" *Ibid. v.* 26. § *Ibid. v.* 17

Dei præcepta nisi per patientiam & orationem impleri non possint.

Adversos Judæus, de Sabbato. CAP. XXIV.

SAbbatum dies septimus vocatus est, & requiem significat. Deus enim eo die, sicut ait Scriptura, "*requievit ab operibus suis*, ut numerus dierum ad septimum usque progressus, rursus in orbem redeat, atque a primo initium sumat, † Hic porro numerus apud Judæos in honore est: § quippe quem Deus coli præceperit, idque non defunctorie, sed gravissimis etiam pœnis statutis in eos, qui illud transgressa essent. Nec vero temere id ille imperavit: sed certis quibusdam rationibus adductus, quas viri spirituales, mentisque perspicacitate præditi intelligunt.

Quantum autem ego, alioquin imperitus, assequi possum (ut ab inferioribus ac crassioribus incipiam) cum sciret Deus Israeliticum populum pinguem esse, & carni

" *Gen.* 2. v. 2. ' *Exod.* 13. v. 12.
† *Num.* 15. v. 35. § *Greg. Naz. orat* 44.

addictum, inque res terrenas impense pronum, [a] nec discretionis ullius, hanc legem sanxit; primum, [b] *Ut servus & jumentum requiescerent*, sicut scriptum est. Etenim *justus miseratur animas jumentorum suorum*: deinde vero, ut ipsi terrenis ocupationibus feriati, ad Deum se colligerent; septimum nempe diem in psalmis & hymnis & canticis spiritualibus, divinarumque Scripturarum lectione totum expendentes, atque in Deo conquiescentes. Nam, quando lex non erat, nec Scriptura divinitus inspirata, ne sabbatum quidem Deo consecratum erat. At postquam Scriptura divina per Moysen data est, § sabbatum quoque Deo dicatum fuit, ut ejus meditationi vacarent, qui totum vitæ tempus Deo non impendunt, nec Domino tanquam patri toto desiderio serviunt: sed velut ingrati servi, parvam illiusmodi ac perexiguam vitæ particulam ille impertirent, idque pœnarum & objurgationum, quæ prævaricatores manent, timore. *Non enim lex justo posita est, sed injusto.* Argumen-

[a] *Deut* 5. *v.* 14. [b] *Prov.* 12. *v.* 10. § *Athan. in Syn. in Exod.* [c] *Tim.* 1. *v.* 9.

mento est, * quod primus ipse Moyses totos quandraginta dies, ** rursumque totidem alios jejunus adsistens Deo, proculdubio ipsis quoque sabbatis sese macerabat, cum tamen lex juberet, ne quis se die sabbati affligeret. Quod si hoc ante datam legem gestum fuisse ajunt, § quid de Elia Thesbite sunt dicturi, qui quadraginta dierum iter, semel duntaxat sumto cibo; confecit. Etenim ipse non jejunio solum, sed etiam itinere, in horum quadraginta dierum sabbatis sese affligens, sabbatum solvit; neque propterea Deus qui legem tulerat, ei succensuit; quin potius in virtutis præmium, illi se in Horeb conspiciendum præbuit. ¶ Quid item de Daniele dicent? Annon tres hebdomadas integras jejunus egit? Quid vero? Numquid non Israelitæ omnes infantem sabbato circumcidunt, si quidem hunc octavum vitæ diem attigerit? † Nonne magnum illud jejunium, quod lege præscriptum est, si in sabbato occurrerit, ob-

* *Exod.* 24. *v.* 18. ** *&* 34. *v.* 28. § 3. *Reg.* 19. *v.* 8. ¶ *Dan.* 10. *v.* 2. † *Levit.* 12. *v.* 3. *&* 23. *v.* 27.

eunt? « Annon itidem Sacerdotes & Levitæ in tabernaculi operis sabbatum violant, ‘ nec ob id in culpa sunt. Quin, si jumentum die sabbati in foveam prolabitur, § qui illud extraxerit, criminis est insons; reus vero, qui hoc facere neglexerit. Num cuncti Israelitæ per septiduum arcam Dei ferentes, Hierichuntina mœnia non circuiere, inter quos dies plane sabbatum erat.

Itaque, quemadmodum dixi, ¶ ut Deo vacaretur, & vel minima saltem vitæ particula ei tribueretur, † nec non ut servus jumentumque requiescerent, sabbati observatio consulto invecta illis fuit, qui cum parvuli adhuc & carnales essent, sub elementis mundi servientes, nihil supra corpus & literam valerent cogitare. ¶ Cum autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum unigenitum, hominem factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret; ut adoptionem fi-

lio-

« *Mat.* 12. *v.* 5. ‘ *Epiph. hær.* 30. *n.* 32. *& hær. n.* 82. *& seqq.* § *Athan. hom. Circumc. & sab.* ¶ *Ath. loc. cit.* ¶ *Gal.* 4. *v.* 4.

filiorum reciperemus. Quotquot enim recepimus eum, dedit nobis potestatem filios Dei fieri, qui in ipsum credimus. " Quare non jam sumus servi, sed liberi: "" non jam sub lege, sed sub gratia: non jam ex parte solum præ metu Domino servimus; sed ad totum tempus ei consecrandum sumus obligati, adeo ut servo illi, iræ, inquam, & cupiditati, quiescere a peccato, Deoque feriatum esse jubeamus; erecta quidem perpetuo versus Deum cupiditate, armata vero contra Dei hostes iracundia: ac jumentum item, corpus nimirum, a peccati servitute dato otio recreamus, & ad inserviendum divinis præceptis compellamus.

Hæc sunt quæ spiritualis Christi lex nobis indicit, quam, qui custodiunt, Mosaica lege superiores exsistunt. † Nam, ex quo venit quod perfectum est, evacuatum est quod ex parte erat; ac scisso per Salvatoris crucem tegumento sive velo legis, sanctoque Spiritu ligneis linguis illucescente, litera obsolevit, corporalia cessarunt, &

" *Joan.* 1. *v.* 12. "" *Gal.* 4. *v.* 7. † 1. *Cor.* 13. *v.* 10.

impleta lege servitutis, "lex libertatis nobis donata est. Atqui perfectam humanæ naturæ requiem celebramus, hoc est resurrectionis diem, in qua Dominus Jesus, vitæ auctor & salvator, nos ad promissam illis qui spirituali cultu Deo serviunt, hæreditatem introduxit; in quam nimirum ipse præcursor noster ingressus est, postquam a morte ad vitam rediit; & reseratis patefactisque sibi cœli januis, in Patris dextera secundum corpus consedit, quo illi etiam qui legi Spiritus morem gerunt, deinceps sunt introituri.

§ Quocirca ad nos, qui spiritu, ac non litera incedimus, omnis carnalium rerum abjectio spectat, cultusque spiritualis, & cum Deo conjunctio. Circumcisio quippe, corporeæ voluptatis, rerumque superfluarum ac minime necessariarum est abjectio. Præputium vero nihil aliud est, nisi superflua cutis membri illius in quo libido cietur. Omnis porrò voluptas, quæ nec ex Deo, nec in Deo capitur, voluptatis est superflua portio, cujus figura præputium est

[a] *Athan. loc. cit.* § *Athan. cit.*

est: Sabbatum autem est requies a peccato. Quamobrem duo hæc unum prorsus sunt, atque ita ambo simul, si ab iis qui spiritu agunt, observentur, ne minimam quidem flagitii notam creant.

Quin illud quoque notandum est, septenario numero præsens omne tempus designari, " juxta atque sapientissimus Salomon dixit, *dare partem septem, atque etiam octo*. § Et diviniloquus David, cum de octava psalmum ederet, ¶ de futura post resurrectionem instauratione rerum canebat. Quocirca, quando quidem lex die septimo a corporeis rebus cessare præcipiebat, & spiritualibus vacare, vero Israelitæ, eaque mente prædito quæ Deum videat, arcana ratione hoc subindicabat, nunquam id non agendum esse, ut sese Deo offerat, & supra res corporeas adsurgat.

" *Greg. Naz. orat.* 42. § *Eccl.* 11. *v.* 2. ¶ *Psal.* 66. *&* 11.

De Virginitate. CAP. XXV.

VIrginitatem carnales homines culpant, &

& qui voluptati indulgent, testimonii loco dictum hoc obtendunt, *Maledictus omnis qui non suscitat semen in Israel:* nos vero Dei Verbi qui ex Virgine carnem assumsit, præsidio freti hoc dicimus virginitatem ab initio in hominum natura consitam fuisse. Etenim homo ex terra virgine effictus fuit. Ex solo item Adamo Eva condita est. Virginitas etiam in Paradiso vigebat. Ait quippe divina Scriptura; *Nudi erant* (Adamus scilicet & Eva) " *& non erubescebant.* Ubi primum a divino mandato recesserunt, *nudos se esse cognoverunt*, & præ pudore *perizomata sibi consuerunt*. Ac Postea quam violato præcepto Adamus audivit: *Terra es, & in terram reverteris*, morsque per transgressionem in mundum introivit, tum demum "" *Cognovit Adam uxorem suam, & concepit, genuitque.* Itaque ne mors hominum genus obtereret & absumeret, matrimonium invectum est: ut per liberorum procreationem genus humanum incolume staret.

At

" *Gen.* 3. 1. 7. & 19. "" *Greg. Nyss. de opif. hom. c.* 16.

At fortasse dicent: Quid igitur sibi vult, [a] *Masculum & feminam &c.* illudque: *Crescite & multiplicamini?* Cui quæstioni respondebimus, per hæc verba, *Crescite & multiplicamini*, non eam omnino propagationem significari, quæ per conjugalem complexum efficitur. Deus enim alio quoque modo genus nostrum propagare poterat, si integrum ipsius mandatum, ad extremum servassent. [b] At cum pro sua præscientia (ut cui omnia antequam fiant nota sunt) perspectum haberet, fore, ut illi contra quam imperatum erat, facerent, ac morte mulctarentur; hoc ipse antevertens, masculum & feminam creavit, & crescere ac multiplicari jussit. Ergo via cœpta pergamus, ac virginitatis, sive etiam castitatis, dotes videamus.

[c] Noe, cum arcam ingredi juberetur, atque hoc ei munus imponeretur, ut mundi semen conservaret, hujusmodi mandatum accepit. *Ingredere*, inquit, *tu, & filii tui, & uxor tua, & uxores filiorum tuo-*

[a] Gen. 1. v. 27. [b] *Vide sup. lib.* 2. c. 30.
[c] Gen. 7. v. 7.

tuorum. Eos itaque ab uxoribus distraxit, ut castitatis adminiculo pelagus, atque universi illud orbis naufragium effugerent. At vero sedato diluvio, ‘ *Egredere, inquit, tu, & uxor tua & filii, & uxores filiorum tuorum*. En rursus quo pacto propagationis causa matrimonium permissum est. “ Elias deinde, auriga ille ignem spirans & cœlipeta, “‘ nonne cœlibatum amplexus est, ejusque virtutem evectio humana conditione præstantior comprobavit? Quis cœlos clausit? Quis mortuos suscitavit? * Quis Jordanem divisit? Nonne virgo Elias? An non Elisæus discipulus ejus, cum paris virtutis specimen dedisset, Spiritus gratiam, quam duplicem petierat, consequutus fuit? † Quid tres pueri? Nonne cum virginitatem coluissent, ignem superarunt, hoc per virginitatem adepti, ut ipsorum corpora igne consumi non possent? § Quid Danielem tacceam? Cujus corpus virginitate sic obdu-ratum fuerat, ut ferarum dentes ei infigi nec-

‘ *Gen.* 8. *v.* 16. “ 4. *Reg.* 2. *v.* 11. “‘ 3. *Reg.* 17. *v.* 1. & 19. * 4. *Reg.* 2. *v.* 8. & 9. † *Dan.* 3. *v.* 20. § *Dan.* 6. & 14.

nequieverint. ' Annon Deus ab Israelitis conspiciendus, " hoc eis præceperat, ut a libidine purum corpus servarent? Nonne sacerdotes seipsos castos servabant, quo templi adyta ingrederentur, ac victimas offerrent? Annon denique lex magnum votum castitatem nancupavit?

Legis itaque præceptum sensu magis spirituali accipi debet. Est enim semen spirituale; quod per charitatem & timorem Dei concipitur in animæ utero, parturiente, edenteque spiritum salutis. Sicque etiam intelligendum illud est: "" *Beatus qui habet semen in Sion, & propinquos in Hierusalem.* Quid enim, si ganeo sit, si temulentus, si idolorum cultor, num beatus erit, modo semen in Sion, & affines in Hierusalem habeat? Nemo certe sanæ mentis hoc effutierit.

Virginitas Angelicum est vitæ genus, incorporeæ omnis naturæ peculiaris nota. Neque id dicimus, ut matrimonio detrahamus: absit (nequaquam enim nos fugit Domi-

' *Exod.* 19. *v.* 15. " *Num.* 6. *v.* 2. "" *Isai.* 31. *v.* 9.

minum præsentia sua nuptiis benedixisse, illumque novimus qui dixit, « *Honorabile connubium, & thorus immaculatus)* "" sed quia nuptiis, quamvis alioqui bonis, præstare virginitatem agnoscimus. Etenim, cum in virtutibus, tum in vitiis altiores atque inferiores gradus exsistunt. Illud scimus, mortales omnes ex conjugio natos esse, primis generis nostri parentibus exceptis. Nam illi virginitatis soboles sunt, non conjugii figmentum, At cœlibatus Angelorum, ut diximus, vitam imitatur. Ex quo fit, ut quantum Angelus hominem antecellit, tantum virginitas martimonium superet.

Quid vero Angelum dico? Christus ipse virginitatis decus est, ut qui non modo ex Patre sine fluxu atque congressu genitus sit, sed etiam nostri instar assumta carne, † ex virgine sine maritali copula veram absolutissimamque virginitatem in seipso ostenderit. Quapropter hanc quidem ille nullis nobis lege præscripsit (*Non* enim, ut ipse ait

« *Joan.* 2. *v.* 2. "" *Hebr.* 13. *v.* 4. † *Mat.* 19. *v.* 11.

ait, *omnes capiunt verbum istud*) verum ipso opere nos illam docuit, nobisque ad eam robur conciliavit. Eccui enim non liquet, virginitatem nunc inter homines vigere?

† Atqui bona quidem est liberorum procreatio, quæ matrimonio suscitatur: bonum item matrimonium propter fornicationes, quas amputat; ac libidinis rabiem, facta legitimæ copulæ copia, in scelesta flagitia insano impetu ruere non sinit. Bonum, inquam, est matrimonium iis quibus deest continentia: at potior est virginitas quæ animi fœcunditatem auget, Deoque orationem uti fructum tempestivum offert. § *Honorabile connubium & thorus immaculatus: fornicatores autem & adulteros judicabit Deus.*

† 1. *Cor.* 7. 2. § *Hebr.* 13. v. 4.

De Circumcisione. CAP. XXVI.

CIrcumcisio Abrahæ ante Legem, post benedictiones & promissiones data est,

[a] tanquam signum quod cum liberosque ejus, ac vernas a Gentibus, [b] quibuscum morabatur, discerneret; [c] Argumento est, quod cum Israelitæ quadraginta annis in deserto secum ipsi seorsim versarentur, nec cum ulla alia gente commercium haberent, ex iis qui in deserto nati sunt, nullus omnino circumcisus fuit. At postquam Josue Jordanem traiecit, tum circumcisi sunt, constitutaque fuit secunda lex circumcisionis. Lex siquidem circumcisionis, quæ tempore Abrahæ data fuerat, posthac totis quadraginta annis in deserto cessavit. Quocirca secundo rursum Deus circumcisionis legem Josue post transmissum Jordanem dedit: quemadmodum scriptum est in libro ejusdem Josue filii Nave: § *Eo tempore ait Dominus ad Jesum: Fac tibi cultros lapideos ex petra durissima, & circumcide secundo filios Israel.* Et post pauca. *Quadraginta & duobus annis versatus est Israel in solitudine Madbaritide: ob eamque causam incircumcisi erant*

[a] *Gen.* 12. *v.* 3. [b] *Ibid.* 15. *v.* 4. *&* 17. *v.* 10. [c] *Chrys. hom.* 39. *in Gen.* § *Jos.* 5. *v.* 2. *juxta* 70. *Int.*

rant ex ipsis filii multi bellatorum, qui egressi fuerant de terra Ægypti, qui Dei mandatis non paruerant: quibus etiam affirmavit non visuros ipsos terram bonam quam juraverat patribus eorum daturum se eis, terram lacte & melle manantem. In eorum autem locum filios ipsorum suffecit, quos Jesus circumcidit; eo quod in via circumcisi non essent. Ex quo perspicuum fit, circumcisionem signum fuisse quod Israelem a gentibus quibuscum versabatur, secerneret.

Ea porro baptismi figura erat. [a] Sicut enim circumcisio non utile aliquod corporis membrum abscindit, sed superfluum excrementum: [b] ita per sanctum baptisma peccatum nobis amputatur. Liquet autem quod peccatum superfluum quoddam sit, & inutilis cupiditas. Neque enim fieri potest: ut quis omnino non concupiscat, aut nullum voluptatis sensum percipiat: verum illud quod in cupiditate & voluptate nulli usui est, hoc est inutilis cupiditas ac voluptas, hoc ipsum peccatum est; quod quidem cir-

[a] *Greg. Naz. orat.* 40. [b] *Athan. de sabb & circ.*

cumcidit sanctum baptisma, signi loco ve-
nerabilem crucem in nobis fronte præbens,
non qua a Gentibus secernamur (omnes enim
Gentes baptismum consequutæ sunt, ac cru-
cis signo insignitæ) sed quo fidelis ab infideli
in qualibet natione distinguatur. Quocirca
circumcisio patefacta veritate inutilis jam
figura atque umbra est. Inutile igitur est
circumcidi, ac baptismo contrarium. Nam
" *qui circumciditur universæ legis servandæ*
debitor est. Dominus porro ut legem imple-
ret, circumcisus fuit; "" atque adeo totam
legem implevit, sabbatum quoque servavit,
ut legem impleret ac sisteret. Ex quo autem
baptizatus est, & Spiritus sanctus hominí-
bus apparuit, in columbæ specie descendens
super eum, ex eo tempore spiritalis Dei
cultus ac vitæ ratio, cœlorumque regnum
prædicari cœperunt.

" *Gal.* 5. *v.* 3. "" *Matth.* 5. *v.* 17.

De Antichristo. CAP. XXVII.

NOsse autem operæ pretium est, ventu-
rum

rum omnino Antichriſtum eſſe. Et quidem omnis qui non confitetur Dei Filium ac Deum in carne veniſſe, ‘ & Deum perfectum eſſe, atque hominem perfectum, una cum eo quod Deus erat, effectum eſſe, is Antichriſtus eſt. Cæterum peculiari ac præcipuo modo Antichriſtus ille dicitur, qui ſub ſeculi finem venturus eſt. “ Primum itaque oportet prædicari Evangelium apud omnes Gentes, uti Dominus ait: * ac tum ille veniet, ut innoteſcat adverſarius Deo Judæorum animus. Ait enim ad eos Dominus: † *Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me: veniet alius in nomine ſuo, & illum accipietis.* § Itemque Apoſtolus: *Pro eo quod charitatem veritatis non receperunt, ut ſalvi fierent. Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio: ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati.* Ergo Judæi Dominum Jeſum Chriſtum, qui

‘ *Matth.* 24. *v.* 14. “ *Iren. lib.* 5. *c.* 25. * *Greg. Naz. orat.* 47. † *Joan.* 5. *v.* 43. § 2. *Theſſ.* 2. *v.* 11. *Chryſ. hom.* 4. *in epiſt.* 2. *ad Theſſ.*

Dei Filius ac Deus erit, minime recepturunt: impostorem contra, qui se Deum dicat, recepturi sunt. Nam quod Dei nomen sibi ille sit arrogaturus, Angelus Danielem docens hisce verbis ostendit: ‘ *Super Deos enim patrum suorum non intelliget.* Et Apostolus: “ *Nequis vos seducat ullo modo: quoniam nisi venerit discessio primum, & revelatus fuerit homo iniquitatis, filius perditionis, qui adversatur & extollitur supra omnem qui dicitur Deus, aut colitur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus.* * In templo, inquit, Dei, non nostro, sed vetere Judaico. “‘ Non enim nobis, sed Judæis veniet: nec pro Christo, sed adversus Christum: qua etiam de causa Antichristus dicitur.

Primum ergo Evangelium apud omnes Gentes prædicari necesse est: † *Ac tum revelabitur ille iniquus, cujus est adventus secundum operationem Satanæ,* § *in omni virtute, &*

‘ *Dan.* 11. *v.* 37. “ 2. *Thess.* 2. *v.* 3. * *Iren. loc. cit.* “‘ *Cyrill. Hieros. catech.* 15. *Greg. Naz. loc. cit.* † *Matth.* 24. *v.* 24. § 2. *Thess.* 2. *v.* 8.

& signis, & prodigiis mendacibus; & in omni seductione iniquitatis, iis qui pereunt; quem Dominus interficiet verbo oris sui, & destruet illustratione adventus sui. Non ipse ergo diabolus homo fiet, qua Dominus ratione homo factus est (absit enim istud) verum homo ex fornicatione nascetur, [a] qui omnem Satanæ vim atque afflatum suscipiet. Deus enim futuræ ipsius voluntatis perversitatem prænoscens, diabolum in eo domicilium sibi constituere sinet.

Ex fornicatione itaque, ut diximus, nascetur, & clam educabitur. tum repente insurget, arreptaque tyrannide regnabit. Atque in regni quidem sui, seu tyrannidis potius, primordiis specimen præferet sanctitatis. Cum autem potitus rerum erit, tum Dei Ecclesiam persequetur, suamque omnem malitiam promet; [b] "Veniet autem *in signis & prodigiis mendacibus*; fictis utique, & non veris; & eos quorum imbecillo parumque firmo fundamento nixa mens erit, seducet, abstrahetque a Deo vivo; [c] "ita ut scan-

[a] *Chrisost. hom. 3. in 2. ep. ad Thessal.* [b] 2. *Thess. 2. v. 9. Math. 24. v. 24.*

dalizentur, si fieri potest, etiam electi.

‘ Mittentur autem Enoch & Elias Thesbites, qui Patrum corda in filios, hoc est, Synagogam ad Dominum nostrum Jesum Christum, atque Apostolorum doctrinam convertent: ab eoque trucidabuntur. “ Actum Dominus veniet de cœlo, † quemadmodum sancti Apostoli in cœlum euntem viderunt; nempe, Deus perfectus, & perfectus homo, cum gloria & potestate, § & hominem iniquitatis, filium perditionis, interficiet spiritu oris sui. Quapropter nihil est, cur quisquam Dominum e terra exspectet, verum e cœlo, ut ipse nobis certo declaravit.

‘ *Mal.* 4. *v.* 5. “ *Apoc.* 11. *v.* 3. † *Act.* 1. *v.* 11. § 2. *Thess.* 1. *v.* 8.

De Resurrectione. CAP. XXVII.

POrro mortuorum etiam resurrectionem credimus. Erit enim profecto; erit, inquam, mortuorum resurrectio. Resurrectionem autem dicentes, corporum resurrectionem intelligimus. Resurrectio enim est secun-

secunda ejus quod cecidit erectio. * Etenim animæ, cum immortales sint, quo tandem pacto resurgant? " Nam cum mortem definiat, animæ a corpore separationem, resurrectio proinde est iterata animæ & corporis conjunctio, secundaque dissoluti & collapsi animalis excitatio. Ipsum itaque corpus quod corrumpitur ac dissolvitur, idemmet resurget incorruptum. Non enim ea imbecillitate est is, qui e terræ pulvere primum illud condidit, ut quod posthac dissolutum erit, atque in terram ex qua sumtum fuerat, secundum opificis sententiam reversum, rursus ad vitam revocare nequeat.

† Enimvero si non est resurrectio, comedamus & bibamus; voluptuosam deliciisque omnibus diffluentem vitam sectemur. Si non est resurrectio, quid tandem est, quo bruta animantia antecellamus? Si non est resurrectio, feras agrestes, quæ vitam mœrore vacuam ducunt, beatas prædicemus. Si non est resurrectio, nec Deus est, nec providentia: sed omnia casu temereque agun-

* *Epiphan. in Anchor. n.* 89. " *Method. cont. Orig.* † 1. *Cor.* 15. *v.* 32.

tur & ferentur, Ecce enim justos plurimos videmus egentes, & injuria affectos, omnique ope hoc in seculo destitutos; peccatores contra & flagitiosos, divitiis, & omni deliciarum genere circumfluentes. Ecquis autem sana mente præditus, hoc æqui judici aut sapientis providentiæ esse existimet? Erit igitur. erit plane resurrectio. Nam, quia Deus justus est, sustinentibus quoque ipsum mercedem persolvet. Ac, siquidem anima sola in virtutis palæstra decertaverit, sola quoque coronam obtinebit; & si sola in voluptatibus sese volutarit, sola quoque merito pœnas luet. At cum nec existentiam inter se discretam habuerint, nec anima, vel virtutem, vel malitiam sine corpore gesserit, merito proinde ambo simul, aut præmiis, aut pœnis afficientur.

Quin divina quoque Scriptura corporum resurrectionem fore testatur. Ait quippe Deus Noe post diluvium: *Quasi olera virentia tradidi vobis omnia; excepto quod carnem cum sanguine animæ non comedetis. [a] Vestrum enim sanguinem animarum vestrarum*

[a] *Gen. 9. v. 3.*

rum requiram de manu cunctarum bestiarum, & de manu omnis hominis fratris ejus requiram animam ejus. Qui effuderit sanguinem hominis, pro illius sanguine sanguis ipsius effundetur: ad imaginem quippe Dei hominem feci. Quonam autem modo sanguinem hominis de manu cunctarum bestiarum requiret, nisi quia corpora hominum, qui moriuntur, ad vitam excitabit? Non enim hominis loco bestiæ morientur.

Rursusque ad moysen; " *Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob.* Atqui *non est Deus mortuorum Deus,* ' hoc est eorum qui moriuntur, nec amplius futuri sunt; "" sed *vivorum*: quorum animæ quidem in manu ejus vivunt; corpora autem post resurrectionem revivisscent. Dei quoque parens David Deum sic alloquitur: * *Auferes spiritum eorum, & deficient, & in pulverem suam revertentur.* En quo pacto de corporibus ei sermo est. Deinde subjungit, *Emittes Spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ.*

Esa-

" *Exod.* 3. *v.* 6. ' *Math.* 22. *v.* 32. "" *Sap.* 3. *v.* 1. * *Psal.* 103. *v.* 29.

Esaias item: [c] *Resurgent mortui, & expergiscentur qui in monumentis sunt.* Atqui constat non animas, sed corpora in monumentis collocari.

Beatus quoque Ezechiel: [cc] *Et factum est*, inquit, *cum ego prophetarem, & ecce terræ motus;* [ccc] *& accedebant ossa ossa ad ossa, unumquodque ad junctiuram suam. Et vidi: & ecce rursus oborti sunt eis nervi, & carnes enascebantur, & ascendebant ad eos, & circumfusæ sunt eis pelles desuper.* Ac postea docet, quemadmodum spiritus, juxta atque illis imperatum erat, redierunt.

Præterea divinus Daniel ait: * *Et in tempore illo consurget Michael princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui: & erit tempus tribulationis, tribulatio, qualis non fuit, ex quo facta est gens in terra, usque ad tempus illud. Et in tempore illo salvabitur populus tuus, qui inventus fuerit scriptus in libro. Et multi de his qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt, alii in vitam æternam, & alii in opprobrium & confusionem æternam. Et in*

[c] Esai. 26. v. 9. [cc] Ezech. 37. v. 7. [ccc] Nyss. de anim. & resur. post. med. * Dan. 12. v. 1.

intelligentes fulgebunt quasi splendor firmamenti, & ex justis plurimis, quasi stellæ in secula & ultra fulgebant. Ex his autem verbis, *Multi de his qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt* perspicuum est, eum corporum resurrectionem indicare. Neque enim quisquam dixerit, animas in terræ pulvere dormire.

Quin etiam Dominus in sacris Evangeliis corporum resurrectionem aperte tradidit: [q] *Audient* enim, inquit, *qui in monumentis sunt, vocem Filii Dei: & proceedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii.* Nemo autem mentis compos, animas in monumentis esse aut versari unquam dixerit.

[r] Ne vero Dominus sermone tantum, sed & opere corporum resurrectionem declaravit. Primum quando quatriduanum, jamque corruptum, & fœtentem Lazarum suscitavit. Neque enim animam corpore orbatam, sed corpus cum anima; nec alterum, sed ipsum met quod corruptum erat, excitavit. Quonam etenim alioqui, modo agnita fuisset,

[q] *Joan.* 5. v. 28. [r] *Joan.* 11. v. 43.

sua

aut fidem inveniſſet mortui reſurrectio, niſi ex certiſſimis perſonæ notis ac proprietatibus ea comprobata eſſet. Verum Lazarum quidem, ut divinitatem ſuam demonſtraret, ac tum ſuæ, tum noſtræ reſurrectionis fidem adſtrueret, ad vitam ita revocavit, ut eidem rurſus eſſet moriendum. At ipſe Dominus perfectæ, nec jam morti ſubjectæ reſurrectionis auſpex exſtitit ac primitiæ: eamque ob rem aiebat Apoſtolus Paulus: "*Si mortui non reſurgunt, neque Chriſtus reſurrexit. Si autem Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt ergo fides noſtra. Adhuc ergo ſumus in peccatis noſtris.* Et, *quia Chriſtus reſurrexit primitiæ dormientium.* Et, *Primogenitus ex mortuis.* Ac rurſus: † *Si credimus quod Jeſus mortuus eſt, & reſurrexit: ita & Deus eos qui dormierunt per Jeſum, adducet cum eo.* *Ita*, inquit; quemadmodum nempe Chriſtus reſurrexit.

Quod autem Domini reſurrectio, corporis jam incorrupti & animæ conjunctio eſſet (nam hæc erant quæ fuerant diviſa) hinc liquet

" 1. *Cor.* 15. *v.* 16. & 23. † *Col.* 1. *v.* 18. † 1. *Theſſ.* 4. *v.* 15.

quet. Ait enim: « *Solvite templum hoc, & in tribus diebus ædificabo illud.* Quod autem de corpore suo loqueretur, Evangelista testis locuples est. "" *Palpate me & videte* (ajebat discipulis suis Dominus, dum existimabant se spiritum videre) *quia ego ipse sum, & non sum mutatus: quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* "" Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus & latus; eaque Thomæ palpanda porrexit. Annon hæc ad fidem resurrectioni corporum conciliandam sufficiunt?

Rursus autem divinus Apostolus ait: † *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem: & mortale hoc induere immortalitatem.* Ac rursus: § *Seminatur in corruptione, surgit in incorruptione; seminatur in infirmitate, surget in virtute: seminatur in ignobilitate, surget in gloria. Seminatur corpus animale*, hoc est, crassum & mortale, *surget corpus spirituale;* ¶ immutabile, impassibile, subtile (hoc enim significat, *spiritu-*

« *Joan.* 2. *v.* 19. "" *Luc.* 24. *v.* 38. ""
Joan. 20. *v.* 27. † 1. *Cor.* 15. *v.* 3. &
42. § *Nyss. citat.* ¶ *Epiph. hær.* 64.

rituale, quale nimirum post resurrectionem Domini corpus erat, cum januis clausis transiret) infatigabile, nec cibo aut somno aut potu indigens " *Erunt enim*, inquit Dominus, *sicut Angeli Dei*. Nec jam nuptiis aut liberorum procreationi locus erit. Ait quippe divinus Apostolus: "" *Nostra conversatio in cælis est: unde etiam Salvatorem expectamus Dominum Jesum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, ut conforme fiat corpori claritatis suæ*. Quo loco, non mutationem in alteram formam intelligit (absit hoc) verum immutationem potius ex corruptela ad incorruptionis statum.

At dicet aliquis: ¶ *Quomodo mortui resurgent?* Proh incredulitatem! Proh dementiam! Qui pulverem in corpus sola voluntate mutavit: ♄ qui exiguam materiæ guttam in utero amplificari, variumque ac multiplex corporis organum efficere jussit, an non multo magis id quod fuit ac defluxit, cum voluerit, rursum excitabit? *Qualive corpore venient? Insipiens*, si ea est obdura-

tio

" *Mar.* 12. *v.* 25. "" *Phil.* 3. *v.* 20. ¶ 1. *Cor.* 15. *v.* 35. ♄ *Epiph. Anch. n.* 95.

tio tua, ut te Dei verbis fidem adhibere non sinat, operibus saltem ejus crede. *Nam tu quod seminas, non vivificatur, nisi prius moriatur. Et quod seminas, non corpus, quod futurum est, seminas, sed nudum granum, ut puta tritici, aut alicujus cæterorum. Deus autem dat illi corpus, sicut vult; & unicuique seminum proprium corpus.* Contemplare itaque semina in sulcis, non secus atque in sepulchris, defossa. Quisnam igitur radices, & calamum, & folia, & spicas, & subtilissimas aristas inserit? Annon ille universorum opifex? Annon ejus qui omnia fabricatus est, jussio? Ad hunc itaque modum, etiam Dei voluntate ac nutu, mortuorum resurrectionem fore credito. Etenim potentia ipsius voluntatem æquo gradu comitatur.

Resurgemus itaque, animis nostris videlicet conjunctis iterum cum corporibus a corruptione jam exutis: atque tremendo Christi tribunali sistemur, ac tum diabolus, ipsiusque dæmones, & ejus homo, hoc est Antichristus, nec non impii flagitiosique homines igni æterno tradentur; igni, inquam,

non qui instar nostri materiæ constet, sed qualem Deus novit. Qui autem bona egerunt, fulgebunt sicut sol cum Angelis in vita æterna, cum Domino nostro Jesu Christo, ut videant semper ac videantur, indefectibiliique in le lætitia fruantur, laudantes eum cum Patre & sancto Spiritu per infinita sæcula sæculorum Amen.

